# LVDOVICI DEMONTIOSII GALLVS

## *ROMAE HOSPES.*

Vbi multa antiquorum monimenta explicantur,
pars pristinæ formæ restituuntur.
Opus in quinque partes
tributum.



*ROMAE*

Apud Ioannem Osmarinum. M. D. LXXXV.

*Cum Priuilegio, & Superiorum permissu.*

# S. D. N.

# XYSTO QVINTO
## PONTIFICI MAXIMO.




VM tibi in dies viri primarij,& ciuitates,& populi certatim pontificatum gratulentur, ridiculum videri poſſit, in tanto gratulantium concurſu hoſpitem ignotum nomen ſuum profiteri. Atqui ego non tibi gratulor, cui nihil præter curam, & ſolicitudinem acceſſit; ſed virtuti, & reipublicæ Chriſtianæ. Illi, quod ei hoc quantūcunque eſt, totum acceptum ferendum ſit; non fauitoribus, vt veteri verbo vtar. huic verò, quod paſtorem eiuſmodi nacta ſit, qui periclitantibus rebus, & cauere,& ſubuenire poſſit. Ijs inquam gratulari volui, & idipſum publicis quibuſdā monimentis teſtari. Itaq; cum eſſent præ manibus nobilia quædam priſcorum argumenta, tempori quondam ſacrata, quæ ego ante aliquot dies, dum antiquæ huius tuæ vrbis monimenta luſtro, ab ipſius temporis iniuria vindicare tentaueram, ea nunc denuo vtcunque reſtituta, quod reipub. Chriſtianæ fœlix, fauſtumque ſit, meliore ritu Deo optimo maximo, qui tempora moderatur, vt te diu incolumen ſeruet, ſacro, dico, dedico.

*Sanctitati veſtræ*

*Deuotiſsimus ſer.*

*Lud. Demontioſius.*

# INDEX EORVM, QVAE IN SINGVLIS huius operis partibus continentur.





*N PRIMA, anni veteris rationes explicantur, & eius symbola. De pyramidibus. De obeliscis.* De *Iano bifronte. Cur ei portæ geminæ attribuerentur. Variæ eius formę, & de earum significatione in re numaria. Quid in numis bigæ, & quadrigæ significarent. Arcus Iani pristinę formæ restituitur, & in eo recondita quædam explicantur. Iani symbolum cur sepulchris adponeretur. Cur item in Circo. Septizonium pristinæ formæ restituitur, & arcana eius explicantur.*

I*N secunda, quæ est de Pantheo, & symmetria ædium sacrarum, Caryatides eius templi indicantur, & locus vbi quondam sitæ fuerunt. Panthei symmetriam, vt nunc est, vitiosam esse. Quid in eo de antiqua forma mutatum fuerit. Quomodo pristinæ elegantiæ restitui possit. Quid sint* Scamilli *apud Vitruuium. De porticu panthei. De symmetria corporis humani. De octastylo Hermogenis Vitruuij locus explicatus, & emendatus. Quid apud eundem* Tholus, *quid* Pyramis, *quid* Flos, *vbi multi recentiorum errores adnotantur.*

I*N tertia, vbi de veterum sculptura, de cælatura & gemmarum scalptura, &*

I*N quarta, quę est de pictura, Plinius pluribus locis emendatur, & illustratur. Explicatur etiam nobile illud de pictura certamen inter Apellem, & Protegenem.*

I*N quinta, quæ est de foro Romano veteri, notantur errores recentiorum in situ arcus fabiani, Putealis, Comitij, ficus ruminalis, rostrorum veterum, curię hostilię, & Græcostasis. Vbi sita quondam fuerit celebris illa basilica Pauli. Vbi stationes municipiorum.*

# XYSTVS PAPA QVINTVS.

## Ad futuram rei memoriam.



*VM, sicut accepimus, dilectus filius Ludouicus Demontiosius Gallus in Vrbe Hospes ad communem vsum, vtilitatem, & commodum vnum opus in quinque partes distributum, sub titulo Ludouici Demontiosij Gallus, Romę Hospes, vbi multa antiquorum monimenta explicantur, & pars pristinę formæ restituuntur, hactenus non excussum, nec in lucem editum suis non paruis vigilijs, & lucubrationibus composuerit, & in lucem ediderit, illudque propediem typis dare, & excudi facere desideret, dubitetque tamen, ne huiusmodi opus antequam forsan, vel postquam totaliter impressum fuerit ab aliquibus alijs quam sibi beneuisis Impressoribus lucrum ex alieno labore quęrentibus sumpto inde exemplo tam in nostra Romana Curia, quàm in alijs Ciuitatibus, etiam Sedi Apostolicæ mediatè, vel immediatè subiectis licentia ab ipso Ludouico minime requisita, & absque illius voluntate imprimi, & impressum vendi contingat, quod in non modicum dicti Ludouici prępiudicium, & damnum vergeret. Nos igitur dicti Ludouici præcibus annuentes, & illius indemnitati, alijsque in præmissis opportuuè prouidere volentes, illiusque in hac parte supplicationibus inclinati, eidem Ludouico, ne quis dictum Opus Ludouici Demontiosij à decem annis post impressionem dicti operis, à quocunque quauis ex causa seu quęsito colore, ingenio, vel fauore, absque expressa ipsius Ludouici licentia, seu voluntate imprimere, vel imprimi facere, figurasue in eodem opere existentes, aut quę ab eodem Ludouico seorsum edentur in lucem, ære aut ligno excidere, vel incidi facere, illudque & illas vendi, seu venale, & venales tenere, vel proponere possit, nec valeat auctoritate apostolica, tenore pręsentium concedimus, & indulgemus. Inhibentes omnibus & singulis vtriusque sexus Christifidelibus, vbiq; locorum tam in Italia, quam extra Italiam, in Terris Sedi Apostolicæ mediate, vel immediate subiectis existentibus, & præcipue Bipliopolis, & librorum Impressoribus, sub excommunicationis latæ sententiæ, ac quingentorum ducatorum auri de Camera pro vna Camera Apostolica, seu Fisco nostro, & altera medietatibus eidem Ludouico applicandorum, & insuper amissionis librorum, & aliorum, vt supra applicandorum pœnis toties, quoties aliquis contrauenerit, ne dictum opus Ludouici Demontiosij modo, quo dictus Ludouicus imprimi facere intendit, absque eiusdem Ludouici, vt pręfertur, aut eius hęredum, & successorum suorum expressa licentia, seu consensu, vel mandato imprimere, seu imprimi facere, aut vendere, seu venale habere, seu proponere, figurasq; in eo existentes, & pro tempore ab ipso Ludouico in lucem edendas, ære, aut ligno incidere, seu incidi facere quoquo modo audeant, vel pręsumant. Mandantes vniuersis, & singulis Venerabilibus fratribus nostris, & in statu sancti*

*ctę Romanæ Ecclesiæ legatis, eorumq; & Sedis Apostolicæ vicelegatis, necnon Archiepiscopis, Episcopis, eorumq; in spiritualibus vicarijs generalibus, necnon tam dictæ Vrbis, quàm quarumcunq; aliarum ciuitatum, terrarum, & locorum ipsius nostri statùs ecclesiastici gubernatoribus, & locorum ordinarijs, ac temporalibus officialibus, vt quoties pro ipsius Ludouici, seu illius hæredum & successorum parte fuerint requisiti, vel eorum aliquis fuerit requisitus, eidē Ludouico, seu eius hæredibus, & successoribus prædictis efficacis defensionis præsidio assistentes, ad omnem ipsius Ludouici, eiusq; heredum, & successorum huiusmodi requisitionem non permittant opus ipsum contra præsentium tenorem ab aliquo imprimi, aut impressum vendi, & venale teneri, figurasue in eo existentes, & in posterum per ipsum Ludouicum in lucem edendas, ære, aut ligno incidi, aut incisas venales exponi, contradictores quoslibet, & rebelles per censuras ecclesiasticas, ac alias eorum arbitrio imponēdas, & moderandas pœnas, cæteraq; opportuna remedia appellatione postposita compescendo, ipsasq; censuras etiam iteratis vicibus aggrauando, & interdictum ecclesiasticum apponendo, alijsq; iuris, & facti remedijs opportunis auctoritate apostolica exequantur, & obseruari curent, & faciant, & contra ea non obseruantes iuxta earundem præsentium tenorem procedant, inuocato ad hoc, si opus fuerit auxilio brachij secularis. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscunque. Et insuper quia difficile foret pręsentes literas ad quælibet loca deferri, volumus, & apostolica auctoritate decernimus, quod illarum transumptis, vel exemplis, etiam operi prędicto, seu libro tam per impressorem pręfixis, quam præfigendis plena, & eadem prorsus fides vbique tam in iudicio, quam extra adhibeatur, quę pręsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die xxii. Iulij, M. D. LXXXV. Pontificatus nostri Anno primo.*

*Io. Bap. Canobius.*

# LVDOVICI DEMONTIOSII
## GALLVS ROMÆ HOSPES.





DVM ROMAE agens antiquorum operum reliquias,& fragmenta, quæ exſpatianti paſſim obuia fiunt contemplor: in quibuſdam artificium laudo,in alijs molem ſuſpiciò, ex multis vero priſcorũ mores animo repeto.Sed dum ſingulorum vſum exploro, hoc me in pleriſque male habebat, quod ex ijs quædam magno molimine facta ab antiquis animaduerterem, in quem tandem vſum, paſſim videbam ignorari. Non de obſcuris loquor: ſed de ijs etiam quæ à ſcriptoribus celebrata ſunt, & quorum formæ typis excuſæ ob oculos omnium verſantur. Vt ſunt obeliſci, qui Romę pluribus locis conſpiciuntur. Vnus integer & erectus in Vaticano: alter fractus, & iacens ad portam Capenam, quæ hodie vulgo nuncupatur ſancti Sebaſtiani: & alij in Vrbe plurimi: In quibus ſtupenda moles ex vno lapide miraculo eſt. Sed cui tandem vſui exciſi fuerint, tantum refert Plinius ſoli dicatos fuiſſe, radiorum eius argumentum in effigie eſſe, & ita ſignificari nomine Aegyptio. De Pyramide quæ eſt ad Portam Trigeminam, ſiue Oſtienſem, nunc S. Pauli,fertur ea conditum Seſtium. Sed cui tandem fini primum extructæ fuerint immanes illæ Pyramides Aegypti, ad quarum exemplar hæc paruo modulo extructa fuit, ne Plinio quidem ſuboluit: non enim autoribus earum vanitatem exprobraſſet, quorum memoriam iuſtiſſimo caſu obliteratam fuiſſe ſcribit. Atqui non fit mihi veriſimile, longo tempore, immenſo pretio, tam immanes moles ſine cauſa fuiſſe extructas.idq; ab Aegyptijs,apud quos tum maxime ſtudia florebant,

 bant,

bāt, quorumque ingenia omni diſciplinarũ genere exculta erant. De arcu Iani (ſic vocant molem illam quadratam, quę eſt ad arcum argentariorum) nemo non ſuſpicatus eſt aliquid ęnigmatis ſub ea latere, & arcana quædam temporum contineri. Itaque quod primum occurrebat ei affinxerunt. quatuor ſcilicet eius ſtructuræ lateribus quatuor anni tempora ſignificari, duodenis vero nidulis qui ſunt in ſingulis lateribus, totidem anni menſes. Atqui non animaduertunt annum ea ratione fore menſium xlviij: cum in integra mole totidem ſint niduli. De numiſmatis etiam, in quibus Ianus geminus conſpicitur, ex altera parte roſtrum nauis, qui frequentes hic omnium manibus teruntur, lęuia itidem ſunt quæ de eorum ſignificatione non vulgus tantum dictitat, ſed & quę literis prodita ſunt. Gemina ſcilicet illa facie ſignificari tempus præteritum, & futurum: & vtriuſq; habendam eſſe rationem. Vel ſi quid eis pręterea aſcribunt eiuſmodi eſt, Vt cuiuis de plebe, etiam non conſulto Iano ſit notiſſimum. De Septizonio, ridicula ſunt quæ paſſim circunferuntur. Itaque de eo doctiores parcius ſcripſerunt, aut heſitanter. Cum tamen inuſitata architecturæ ſpecies ſatis admoneat non vulgarem eius vſum fuiſſe. Imo quæ fuerit quondam totius operis conſtitutio, nemo adhuc prodidit. Hoc tantum fertur, ad ſeptimum vſque ordinem columnarum molem quondam ſurrexiſſe, aut eum ſaltem fuiſſe animum autori eouſque attollere. Sed quorſum, nemo auſus eſt profiteri. At tantum ne otij antiquis illis ab rebus ſerijs ſuperfuiſſe dixerimus, vt nihil niſi cementa cementis, colũnas columnis componere. cogitarent, nulli tandem vſui? Ego ſane non crediderim. Imo verò cum nulla ex ijs operibus commoditas, neque publice, neque priuatim perciperetur, eo ipſo argumentum quoddam reconditum ibi latere ſuſpicor, & ſingulis membris argumenti partem contineri. Eiuſmodi autem argumenta eſſe oportuit, vt & autoritatem haberent, & ipſa in arcanis haberentur. ridiculum enim fuiſſet in re humili, & trita ſolertiam oſtentare. Porro duo

ſunt

ſunt argumenta, quæ dignitate, & myſterijs omnibus alijs antecellunt. Vnum de religione, alterũ de tempore. In vtroque quędam erant quę parcius vulgabantur: vſus enim tantum populo concedebatur, arcana verò apud Aegyptios penes ſacerdotes erãt, apud Gręcos penes Hierophantas, apud Romanos penes Põtifices: qui omnes arcana partim fabulis, partim imaginibus velabãt. Maxime vero Aegyptij, & Gręci quorũ cõmenta quę ad religionem ſpectant perſequi, infinitũ eſſet. De tẽpore etiam longum eſſet omnia recẽſere. Sed nobiliora tantũ excutere, non ita moleſtũ fuerit: cum magna pars vel exemplis eorũ quę adhuc Romę conſpiciuntur illuſtrari poſſit. Sed prius temporum rationes explicandæ sũt, quarum memoriæ magnifica illa ſymbola poſita fuerunt. Cum enim diu, multumq; veteres deſudaſſent in definiendis temporum interuallis, vt ciuilis temporum inſtitutio cũ naturalibus temporum rationibus conueniret, ſymbola plura excogitarunt exanclati laboris pręclara monimenta, quæ obſeruationibus temporum ſubſidio eſſent aduerſus ipſius temporis iniurias: ne venerandæ eius antiquitatis memoria intercideret. Quãtum enim laboratum eſt in anni modo definiendo? Fuere primum qui ex menſe lunari annum conſtituerent: quod notabili quodam indicio rerum vices ex orbe Lunę notarentur. Fuere & qui ex tribus menſibus: quod ternis quibuslibet aeris temperies mutaretur. Acarnanes vero ſex menſibus annum ſuum definierunt. Poſteri eum fecerunt duodecim menſium: quod hoc ſpatio quatuor temporum vicibus peractis omnibus noua facies rediret, & labor idem agricolis. Sed cum dies anni in menſes xij. tribuere vellent, itidem & rationem habere duorum luminum, quæ tempus labens cælo ducerent, hoc vero illos exercuit. Si enim vicenum nouenum dierum facerent, annus qui inde conflabatur 348. dierum vtriuſq; luminis anno minor euadebat. Si ex diebus 31. ſingulos menſes conſtituerent, modus anni ſupra Solis & Lunæ rationes excreſcebat. Itaque medium inter hos duos numeros tricenarium prætulerunt,

qui duodecies repetitus annum constitueret dierum 360. & inter Solis & Lunæ metas consisteret. Sed cum hic annus inter duos libratus facile huc illuc impelleretur, Aegyptij ad Solis rationes eum traxerunt, adiectis quinque diebus anno communi: hac adiectione rati se proxime ad solis metam accessisse. Ita illis annus 365. dierum factus est. Tum quia huic anno diem vnũ abesse videbant a solis curriculo, quadriennio confecto diem vnum intercalabant conflatum ex quatuor illis quadrantibus diei. Contra Græci eundem annum ad Lunę rationes retraxerũt, religione ducti propter Olympiades. Semper enim olympias plenilunio, & decimaquinta mensis quinto quoque anno erat celebranda. Ideo necesse fuit quadriennio confecto anni communis, & lunaris rationes eodem reuolui, vnde initio profectę essent. Sed annus græcus erat 360. dierum, annus Lunaris 354. horarum 8. & paulo plus quam duorum trietum horæ: sic diebus quinque horis fere septem dissidebant periodi. Inuenta est tetraeteris, quę binos dies singulis annis intercalando, anni communis moras pensaret, & dissidium inter vtraque tempora componeret. Quippe cum ex annorum comparatione quadriennio exacto excessus deprehenderetur dierum 22. horarum quatuor circiter, adiectione octo dierum fiebat mensis embolimus 30. dierum, & paulo amplius. Sed hac adiectione annus communis lunarem vicissim excedebat aliquot partibus diei. Huic vitio remedium excogitatum fuit exęresis, vt cum quid discreparet eximeretur dies vnus, aut summum biduum: qui dies exæresimi vocabantur. Sicque defectus diebus adiectitijs supplebatur, excessus cœrcebatur exemptilibus: vt tandem exacto quadriennio menses redirent in gratiam. Ea erat tunc anni Lunaris forma: cum tamen adhuc menses omnes essent dierum 30. Sed erat tamen interea alia tetraeteris solaris, In qua dies vnus quarto quoque anno intercalabatur: ad cuius rationes anni temporum describebantur. nam tetraeteris lunaris ciuilis tantum fuit. Sed displicuit hæc annorum distinctio: ac si eidem numini


duæ

duæ cellæ fuiſſent conſtituendæ. Tetraeteris lunaris erat
dierum 1447, ſolaris vero quatuordecim diebus ſolidis ma-
ior: creditum eſt duabus cõtinuis tetraeteridibus peractis ſi
menſis vnus lunaris intercalaretur, Solis & Lunæ periodos
ad ſua initia rédituras, & nouilunium in primum diem
mẽſis ſequentis caſurum. Itaque ex duabus tetraeteridibus
octaeteris conflata fuit. diuque manſit hęc periodus in Grę-
cia. donec Męton nouis rationibus excogitatis ad eius emẽ-
dationem animum appulit, adiectis annis xj. octaeteridi, vn
de enneadecaeteris conpacta eſt, quę ſeptẽ embolimis ęqua-
ret ſolis & Lunæ rationes annis 19. confectis. Placuit diu an
ni Metonici ratio, cum tamen in ea ſolis ὑπεροχὴ lateret:
cæca tamen, & quæ perſpicaciores fugeret. Non potuit ta-
men fugere Calippum, qui longo poſt tempore eam depre-
hendit, deprehenſam caſtigauit, & anni Metonici pomeriũ
ampliauit vſque ad quatuor cyclos decemnouenales 76. an-
norum: quem terminum amborum luminum erroribus prę
ſcripſit, vt ijs explicatis ad ſuas epochas reuerterentur. Et ſa-
ne parum abfuit. ſed differentia illa quantumuis exigua ab
Hipparcho tamen animaduerſa fuit. Hic eadem ratione Ca-
lippi ambitum ampliauit, atque Metonis ambitum Calip-
pus. Metonis ſepta quadruplo ampliauerat Calippus, hæc
rurſus Hipparchus quadruplo, tercentos & quadraginta an
nos periodo ſua includens: quę ratio ad hunc vſque diem
cum corporum cæleſtium motibus conſentire iudicatur.
Vir magnus, quem nemo vnquã pro meritis ſatis laudaue-
rit: cuius arbitrio Sol & Luna litibus ſuis compoſitis poſt tot
ſæcula tandem in gratiam redierint. Vide quantum deſuda-
rint veteres temporum viam inſiſtentes, vt duo illa lumina
ijſdem ſacris colere poſſent, nunc hoc nunc illo renuente.
Vt vero feriæ cum cyclo Metonis conſentirent, id poſt 133.
annos accidebat: qui numerus ex ſeptem enneadecaeteridi-
bus conſtabat, hoc eſt ex ſepties nouendenis annis. Ex his ſo
laris anni metonici modus fuiſſe deprehenditur dierũ 365.
ſcrupulorum diurnorum 1576. annus vero Calippi dierum


365. qualis est Iulianus. Hipparcheus vero fuerit dierũ 365, horarum 5, scrupul. 55, secund. 12. huc enim ratiocinia redeunt, si singulas periodos in dies explicemus, & numerum dierum per earundem annos diuidamus. Sed nec Romani parum insudarunt definiendis temporum interuallis: vnde & variæ fuerũt apud eos annorũ formæ, & varia intercalandi genera. donec Iulius Cæsar orbe cõposito, etiã cęlestiũ orbiũ dissidia cõponere tẽtauit. Sed hęc aliũde peti possunt. Sunt enim qui in hac palestra strenue versati sunt, quibus nolim decoquere. De symbolis temporũ dicere tantum constitui, vt eorũ, si possim, vsum restituã. Meminerimus igitur anni illius veteris dierũ 360. qui inter Lunarem & Solarem constitutus, in vtrumque paratus flecti, facile se applicabat quo illum mores, & instituta hominum vocabant. Itaque in Aegypto ex æquabili lunaris factus est, Aegyptiornm votis annuens. Ea scilicet forma semper prima fronte placuit, cũ res existimaretur ex captu vulgi, qui lunæ vices facilius ex eius orbe perspicit quã solis metas nullo notabili indicio signatas. Cum igitur annus communis ad lunarem deflectebat, annus ex vtroque compositus lunaris dicebatur. Tandem vero Aegyptiorum in phenomenis perspicacitas ad solis rationes annum retraxit, & annus solaris factus est. Inde orta est fabula, Mercurium cum Luna ludẽtem alea vicisse, & septuagesimam secundam partem luminis ab ea extorsisse: nempe quinque dies de anno lunari, quibus adiectis anno æquabili 360. dierum annum solarem effecit, dierum 365. cui ad solis exquisitam mensuram paulo amplius quadrante deerat: cuius ratio habebatur post confectum quadriennium. Aegyptij vero vt ostenderent eam periodum solis & lunæ rationes continere, serpentem pingebant caudam ore admordentem, vt significarent annum lunarem circulo quotannis ad sua initia redeuntem, & tamen iustæ magnitudinis mensuram vlterius extendi. Totus igitur serpens annus erat solaris, circulus annus lunaris, pars caudæ, quæ intra os latebat differentia qua solaris annus a lunari discrepabat. Sed lõgius

deinde

deinde progressa est Aegyptiorum audacia: cum non satis esse ducerent argutis hieroglyphicis sententias suas mandare, nisi operum magnitudo argumenti magnificentiam ęmularetur, & molis diuturnitas temporum diuturnitati par esset. Itaque alia stupenda symbola excogitarunt, Pyramides, quarũ excelsa cacumina vniuerso orbi, & omni ęuo miraculo essent. earũ maxime quæ sitæ sunt in parte Africę, monte saxeo & sterili, non longe a Memphi, adnauigantibus vndique cõspicuæ: ante quas erat sphinx, immani & ipsa magnitudine miranda, quæ admoneret aliquid ænigmatis latere. Sed posteritas nihil in eis præter molem contemplata risit, tanquam ociosam, & stultam pecuniæ regum ostentationẽ. Et tamen qui penitius inspexerit, deprehendet latere in ijs arcana multa antiquę illius sapientię Aegyptiorum, de quibus alias dicturi sumus. Nunc enim ea tantum persequor quæ ad anni rationem pertinent. Diximus autẽ annum solarem ex 365. diebus, & vnius diei quadrãte tandem ab Aegyptijs factum fuisse. quocirca quadriennio exacto dies sequens, velut in partes quatuor tributus quadrantem singulis præcedẽtium quatuor annorum adijciebat. Sicque tametsi singuli anni sumpti seorsum imperfecti essent, quaterni omnes integri erant. Hoc igitur cum vellent Aegyptij significare Pyramides illas extruxerũt quatuor laterum, quę in vnũ coeuntia eodem puncto terminarentur: quemadmodum, & anni singuli tetraeteridis finiebantur die vno, qui post cõfectum quadriennium intercalabatur: vt omnium idem esset finis, idem exitus. Aegyptij igitur ea forma duorum luminũ consensum significare voluerunt, simul rationes illas nõ cartis, aut exiguis tabulis mandare, sed ęternis monimentis, quæ temporum diuturnitatem ęquarent. ad quarum exemplar parua illa pyramis extructa fuit, quæ est ad portam Ostiensem, mœnibus vrbis ita disterminata, vt pars altera sit intra mœnia altera extrorsum procedat hoc modo.



Idem habuerunt in animo autores obeliſcorum, atque ij qui extruxerunt pyramides. peræque etiam vſus eorum poſteros latuit, forte & eos qui Romam deuehendos curauerunt, eo ipſo mirandos magis, quod propter operis tantum audaciam adeo expeti potuerint: quodq; apud eos qui vſum eorum ignorarent, molis tamen autoritas conſtaret: qua etiã effectum aiunt, vt cum Cambiſes vrbem ſolis expugnaret, ventumq; eſſet incendio ad crepidines obeliſci, extingui ignem iuberet, molis reuerentia, qui vrbis nullam habuerat, vt inquit Plinius. & tamen forma ipſa obeliſci, præter molis magnitudinem pulcherrimos vſus continet quaquauerſus ſpectetur. ſed nos, vt iam profeſſi ſumus, eum tãtũ perſequimur, qui ad anni rationẽ ſpectat, quando eius obſeruationis memoriã ad poſteros hoc præclaro monimẽto veteres tranſmittere voluerunt. Itaque quod dictum eſt de pyramidum lateribus idem de quatuor lateribus obeliſcorum dictum velim: quæ & ipſa in vnum punctum concurrerent, ſi ad ſummum perducta eſſent. Sed cum obeliſcorum moles pro ratione magnitudinis abſolui non poſſet, reſciſis eorum cacuminibus ex parte integram magnitudinem exiſtimari voluerunt. atque inde intelligi, quemadmodum quaterna latera obeliſcorum in vnum concurrerent, ſi ad ſummum producta eſſent, ſic in tetraeteride ſolari ſingulorum annorum exitus ſuſtineri, vt poſt confectum quadriennium, vnus & idem dies omnibus finem imponat. tametſi non in eum tantum vſum parata quondam fuerunt immania illa opera. Latent enim ſub ijs alia etiam arcana, quæ ex profeſſo alias a nobis explicabuntur. nec enim adeo leuia ſunt, vt obiter hic & per tranſennam explicanda ſint. Nunc ſatis eſt oſtendiſſe non omnino vanam, & otioſam fuiſſe operam Aegyptiorum, quæ antiquæ illius ſapientiæ veſtigia tam præclaris ſymbolis conſignauit. nulla enim opera male collocata dici poteſt, quæ rerum cognitioni impenditur. En igitur alterum ſymbolum, cui rationes temporum Aegyptij ſeruandas mandarunt.



At prisci tum Romani, tum Græci, cum non tantum eis otij suppeteret ad tantas moles extruendas, curarunt tamen & ipsi vt quę de temporum rationibus magnis vigilijs obseruarant, posteris nota essent: & compendio idipsum assequuti sunt, quod Aegyptij immēso labore perfecerant. Quippe cum sua de religione dogmata æternum mansura crederēt, tempori numen quoddam affinxerunt, cui temporum rationes seruandas committerent. Vt si non argumenti dignitate earum memoria permaneret, at religionis saltem veneratione illæsa in omne œuum protraheretur. Hac de causa Iani bifrontis figura annum suum signabant, Ianum ideo bifrontem colebant, & geminas portas eius belli pacisque indicio insignes: nam tempore belli apertæ erant, claudebātur cum pax erat: vnde & Patultius, & Clusius Ianus dictus fuit. Vtrunque vero temporis argumento fiebat. Cum enim anno lunari vterentur, tum Romani, tum Græci, intercalabant post Numam quidem alternis, priore decem dies, altero vndecim, vt anni simul sumpti cum sole congruerent, licet singuli discreparent. Tametsi enim Romani & Græci lunaribus annis vterentur, semper tamen curarunt, vt rationes tēporum cum sole congruerent. Vnde varia fuerunt intercalandi genera, quę hic recensere, non est animus. Ergo singuli anni erant caui, sed intercalatio hos hiatus explebat. Hoc cum significare vellent, Iano duas portas patentes faciebant; quæ duorum annorum lacunas repræsentarent. Ideo etiam hoc argumento bellum significantes, quod Solis & Lunæ rationes toto eo tempore dissiderent. Intercalatio vero portis clausis significabatur, expletis scilicet lacunis. Ideo & pacis indicium fuit, quod hoc supplemento Solis & Lunæ dissidia composita viderentur. sicque a tempore ad conditiones temporis symbolum translatum fuit, vt etiam belli pacisque vices ex eo colligerētur. Qui deinde sequuti sunt aliud præterea magnificum argumentum eodem symbolo complexi sunt, antiquitatem generis inde ostentantes. Itaque ad Ianū politiam & mores referentes, hoc eius antiquitatis argumen-

tum proferebant, quod primus in latio temporum rationes explicasset, quanquam imperfectas, vt ferebant tunc tempora. Itaque eum pingebant addito rostro nauis, quod in anno definiendo rationem tantum habuisset Lunæ, quæ apposite rostro nauis significabatur, quod solem antecederet. Atque adeo hoc inuento delectati sunt, vt cum primum æs Romæ signari cępit, hāc notā vsurparint: vt ijs publicis monimētis temporum rationes, & antiquitatis memoriam mandarent. Nota æris fuit (inquit Plinius) ex altera parte Ianus geminus, ex altera rostrum nauis. His Plinij verbis suffragantur vetera numismata, cuiusmodi multa habeo, in quibus Ianus gemina fronte exprimitur, prolixa barba, interdum etiam sine barba: cuius arcana obiter exponenda sunt. Macrobius lib. 1. Saturnaliorum ostendit, sub Iani nomine deos omnes exprimi. Omnes enim deos ad Solem referri, Solem vero eundem esse, atque Ianum. Ex sententia vero physicorum Apollinem, & Dianam intelligi. Inde & Dianam, quasi Ianā dictam fuisse, adposita litera D, vt sæpe decoris causa adiecta est. Cur vero bifrons diceretur, inde ortum putat, quod præterita sciuerit, & præuiderit futura. Vel ex sententia C. Bassi, quasi superum & inferum Ianitor esset, atque ideo cū claui signari. Sed neutra ratio naturam Iani satis explicat. Rectius qui Ianum Eanum nominarunt non quod ea notatione cælum idest mundus significaretur, vt idem Macrobius putat; sed quod anni symbolum esset. Idcirco aræ xij. pro totidem mensibus ei consecrabantur. Et quia veteres tum Romani, tum Græci anno lunari primum vtebantur, Iani simulachrum ita figurabatur, vt digitis numerum dierum eius anni exprimeret, nempe 355, vt est apud Plinium: pro quo apud Macrobium male legitur 365, siue librarij, siue autoris culpa ita scriptum fuit. antequam enim Romani anno solari vterentur, ea figura Iani colebatur. Quod vero singulis biennijs intercalaretur, tuncq; duorum luminum ratio haberetur, vt in vnam formam coirent, Ianus bifrons dictus est, & Ianus geminus. Idem Apollo didymeus.

Inde

Inde & Hermaphroditus figurabatur: qua forma vnus adhuc extat in ædibus Illustrissimi Cardinalis Medicei. Inde etiam Apollinem, & Dianam eodem nomine exprimi: cum eadem periodo vtriusque rationes includerentur. Itaque & pro Iano Apollo & Diana simul interdum gemina facie exprimebantur: Interdum alterutrius tantum facies adponebantur: vel alterius cuiusdam dei, vt Saturni, Iouis, Mercurij, Martis, Mineruæ, Cereris, Herculis. cum hij omnes ad Ianum referrentur, vt idem Macrobius ex veterum arcanis prodidit. Et nos horum omnium exemplis instructi sumus, multis videlicet antiquis numismatibus Romanorũ, in quibus horum deorum effigies ex altera parte conspiciuntur, ex altera rostrum nauis: in quibus semper Ianus significatur, siue vna tantum facie conspiciatur, siue gemina. Et si quando Romani ciuis cuiusdam vultum in numismatibus virtutis ergo exprimere volebant, semper tamen Iani nota adponebatur. Cuiusmodi habeo antiqua duo. vnum in cuius parte altera est facies Q. Fabij maximi cum hac inscriptione Q. Fab. Max. ex altera rostrum nauis. Alterum est Pompei magni cum gemina facie sub figura Iani, ex cuius vertice radij solares oriuntur cum hac inscriptione Mag. ex altera parte est rostrum nauis cum his literis Pius Imp. quod numisma in eius honorem cusum fuisse existimo, cum adhuc Iuuenis esset, vt ex ore legitur. Idque argumento eius, quod de se iuuene, & Sylla ætate prouectiore dixisse fertur, plures orientem Solem colere, quàm occidentem. Hoc enim indicare videntur radij solares qui in ea figura ex eius vertice oriuntur sub gemina illa Iani facie. Denique nota Iani semper vsurpata fuit in re nummaria, vsque ad Augusti tempora. Hic, & qui deinde sequuti sunt Imperatores, & facie, & nomine in numis conspici voluerunt. Sed & denarium argenteum eodem argumento signabant veteres Romani notis bigarum, & quadrigarum. Bigarum, eodem sensu, quo Ianum bifrontem fingebant. Quadrigarũ

vero

vero vt annum solarem significarent, qui quadriennio ad sua initia redire credebatur. Nam vt iam diximus etsi annus ciuilis lunaris illis esset, habebant tamen in arcanis alium intercalandi modum, vt tempora in annos solares digererent. Alioqui quæ tandem ex illorum fastis annorum ratio colligi potuisset? At fastos eorum videmus annis solaribus notari, nec discrepare numerum annorum qui ex illis colliguntur a solaribus chronologorum. Hæ igitur quatuor annorum periodi solares nota illa quadrigarum significabantur. Notæ argenti inquit Plinius fuere bigę, & quadrigæ: & inde bigati, quadrigatiq; dicti. Quod si quis hæc aliorsum accipiens contendat mecum his notis triumphos significari, vel eorũ pompam qui prætura functi vecti essent per circum, ego vicissim ex eo quæsierim sicubi triumphantes viderit equis quadrupedantibus præsentari? Extant adhuc Romæ duo nobiles triumphi excalpti ex marmore: vnus in capitolio, alter in arcu Titi. Ijdem triumphi, & alij complures in numismatis æreis conspiciuntur: sed in omnibus equi tolutim incedentes expressi sunt. in omnibus vero argẽteis numis bigatis, & quadrigatis quadrupedantes. Eorum vero qui pretura functi vecti essent per circum celebratio temporibus Plinij non ita vetus erat, vt huc referri posset. Non vetus inquit & bigarum celebratio in his qui prætura functi vecti essent per circum. Vnde conieci eam notam semper adpositam fuisse, vt Iani symbolum esset. Sunt mihi duo numismata aurea in vno est facies Herculis, ex altera parte Zodiacus, in medio quadriga Solis excusso Phaetonte. Hercules, vt ostendimus, idem est cum Sole, & cum Iano. quadriga vero tetraeteris illa solaris quater ambitu Solis iterato. Tetraeteridis vero defectus deprehensus originẽ, vt puto, dedit fabulę Phaetontis, cum crederetur nulli mortalium concessum Solis vias metiri, ex ipsius tetręteridis vitio, operis difficultate perspecta. In altero numismate est facies Dianæ, ex altera parte quadriga: eodem sensu atque in altero illo numismate. Vtroque enim quatuor anni significantur, quod eis ex actis de Solis, &

Lunæ

Lunæ rationibus componendis cogitaretur. Fuerint fortasſe qui de quatuor anni temporibus quadrigam interpretari malint. Sed cur in anno lunari? Quorſum præterea tam vulgaris & trita obſeruatio tam præclaris monimentis illuſtrata fuiſſet? Quæ tandem eius ſymboli argutia fuerit? Iani ſymbola ſunt hæc, quæ non ex anni vertentis forma iudicanda ſunt, ſed ex longioris cuiuſdam periodi interuallo, quod Solis & Lunæ diſſidijs finem tandem inponere credebatur: vt de tetraeteride Græcorum diu creditum eſt: qua adeo delectati ſunt Græci, vt eius etiam deprehenſo vitio, ſymbola tamen eius ſemper coluerint. Id animaduertere eſt in ſequenti ſymbolo quo nullũ argutius, neque nobilius vnquam fuit. Moles eſt in vrbe quadrata, nota etiam dum Iani nomine, tempori quondam ſacrata, & celebrata diu frequentia mercatorum, cuius & vſum, & priſtinam formam reſtituere paramus. Tota ſtructura ita poſita eſt, vt tempore ęquinoxiorum ex binis portis quæ ex aduerſo ſitæ ſunt, altera orientem Solem excipiat, altera excludat occidentem. Has inter binæ aliæ patent, quarum altera ad auſtrum ſpectat, altera ad Boream. A ſingulis potis anni ſinguli inchoantur, omnes ſimul tetraeteridem referunt. Inter binas portas ſunt niduli xij, octo perfecti, quatur vero imperfecti. En pręclarum anni lunaris ſymbolũ, ex quo etiam menſiũ ordo colligi poteſt. Vt ſcilicet ſex primi, ſi a parte aequinoxij verni inchoemus, vt erat ritus Gręcorũ, pleni eſſent omnes. ſeptimus cauus, octauus plenus, nonus cauus, decimus cauus, vndecimus plenus, duodecimus cauus. Plenorum ſunt niduli, qui hemicyclij forma excauati ſunt, cauorum vero qui relicti ſunt imperfecti. forte quia in illis ſigna quædam reponebantur, ideo dicebantur pleni, vt caui contraria ratione qui vacui erant. Pleni menſes tricenis diebus conſtabant, vacui vndetricenis. Sed ſi hęc vera ſunt quę dico, annus lunaris erat 356 dierum, cum tamen veteres vno die breuiorem fecerint: vt Numa ipſe qui vt ſcribit Plin. lib. 34. lib. 7. Iani gemini ſtatuam dicauit, qui belli

pa-

pacisque argumento colebatur, digitis ita figuratis, vt trecentorum quinquaginta quinque dierum nota per significationem anni se temporis, & aeui deum significaret. Ergo annus qui hoc symbolo notatur vno die longior fuerit? Imo vero hoc ipso arcanū ipsum se prodit, & his quæ dixi fides astruitur. Hinc enim apparet ex mensibus cauis vnum semper fuisse duobus diebus deminutum. Nec tantum ita fuisse cōstat; verum etiam quis ille mensis fuerit. cum omnes qui postea annum emendare instituerunt mensem Februarium duodetricenum dierum fecerint. vt is qui primus imparis numeri superstitione, impares omnes fecit: videlicet septem vnius & triginta dierum, quatuor vndetricenum, vnum vero duodetricenum. Idipsum etiam videmus seruatum fuisse in anno Iuliano: adeo sibi constans, & sui semper similis fuit mensium plenorum, & cauorum distributio: tametsi non semper eodem ordine fuerint dispositi.

Octaeteridis symbola nusquam adhuc mihi videre contigit. & tamen adduci non possum, vt credam nullo publico monimento eam celebratam fuisse, cum eius vsus diu in Græcia manserit. Itaque cum in vno & eodem monimento mensium plenorum, & cauorum & tetraeteridis vestigia reperiā; venit in mentem, supra eam molem lapideam quæ extat hodie, aliud quiddam extructum fuisse, quod octaeteridem referret. Cum enim complexi essent eodem opere tetraeteridem, & mensium plenorum, & cauorum distinctionem, diuersas videlicet rationes, non fuit alienum eodē loco octaeteridem includere, cum octaeteris nihil aliud esset, quàm tetraeteridis emendatio. Vt ita sentiam adducor præterea ratione symmetriæ, quæ non sinit molem hanc ita desinere; quin aliud quiddam ædificatum fuerit vbi nunc est lateritiū opus. Idipsum etiam ostendunt gradus in latitudine muri, quibus ad summum ascenditur, vbi antiqui operis vestigia non obscure legi possunt. Est in medio veluti cella quędam quadrata, quaquauersus a muro distans pedibus circiter 6. Totum hoc laxamētum in circuitu fornicibus tegitur ad am-

bulato-

bulationem circum quatuor cellæ latera: fornices vero, qua parte in longum procurrunt ex duabus oppositis cæli partibus diem excipiebant, vt ingeminato lumine lux æqualis in omnes partes diffunderetur. Hac ratione fuerunt omnes fenestræ octo, binæ in singulis lateribus, binis quę sunt in aduerso latere oppositæ. Lumina enim ita fuisse tributa vestigia etiam dum quędam indicant, & constitutio operis ita exigebat. Præter has fenestras si quæ fuissent, nullus erat futurus earum vsus. Itaque quæ in medio laterum huius renouati operis cernuntur, nunquam ex prima operis designatione factę fuerunt. Octo igitur illæ fenestræ, cum toto illo superiori ædificio aliam figuram Iani significabant diuersam ab inferiore: nempe octaeteridem, quæ tetraeteridis loco recepta fuit deprehenso tetraeteridis vitio. Et fuerunt forte duo Iani simulachra, vnum in imo, alterum in summo, quæ admonerent duas periodos vno & eodem opere significari. Itaque cum Petrus victor triginta sex Ianos quadratos in Vrbe fuisse scribat per omnes regiones marmoribus incrustatos, & adornatos insignijs militaribus, & signis; duos tamen Ianos seorsum commemorat sitos ad arcum fabianum, superiorē, inferioremque. Sextus Rufus itidem eorundem meminit in eadem regione, & vterque celebrē mercatorum locū fuisse scribit, & ad arcū fabianum, qui forte is est qui hodie arcus argentariorum dicitur, propter hāc inscriptionem quæ in eo sex lineis distincta legitur.

IMP. CÆSAR L. SEPTIMIO SEVERO PIO PERTINACI AVG. ARABICO ADIABENI · · · PARTH. MAX. FORTISSIMO FELICISSIMO PONTIF. MAX. TRIB. POTEST. XII. IMP. XI. COS. III. PATRI PATRIÆ ET IMP. CÆSAR. M. AVRELIO ANTONINO PIO FELICISSIMOQVE PRINCIPI ET IVLIÆ AVG. MATRI AVG. N. ET CASTRORVM ET SENATVS ET PATRIÆ ET IMP. CÆS. M. AVRELII ANTONINI PII FELICIS AVG. PARTHICI MAXIMI BRITANNICI MAX. IMP. ARGENTARII ET NEGOTIANTES BOARI HVIVS · · · · · DEVOTI NVMINI EORVM.

Hinc apparet, fuisse hunc Ianum celebrem illum mercatorum locum a duobus Ianis denominatum. nisi enim arcus argentariorum idem fuerit cum fabiano, nusquam eius nec Sextus Rufus, nec Petrus Victor meminerunt; tametsi non inter ignobilia opera censeri debuerit, nec eos potuerit latere, cum vterque scripserit temporibus Valentiniani, arcus vero extructus fuerit imperante Antonino Caracalla. Sed duos Ianos fuisse Horatius etiam innuere videtur his verbis.

*Hæc Ianus summus ab imo*
*Perdocet, hæc recinunt Iuuenes dictata senesq;*
*Læuo suspensi loculos, tabulamq; lacerto.*

Sed dubitari possit, duo ne Iani fuerint in eiusdem regionis partibus, an a duobus Ianis de quibus diximus moles hęc, & locus nomen sumpserint. Quidam hunc Horatij locum exponens tres Ianos fuisse scribit, superiorem, inferioremque, tertium qui in medio erat, celebrem illum fuisse mercatorum locum. Itaque omnium consensu hic ille Ianus fuerit mercatorum frequentia celebratus. Addit idem interpres, totum illud spatium inter duos extremos Ianos dictum fuisse Ianum. significari autem illis Horatij verbis, toto illo vico nihil aliud prædicari, quàm pecuniam rebus omnibus anteponendam. Ego vero nescio vbi tertius ille Ianus fuerit, qui potuerit latere eos qui de regionibus vrbis tam accurate scripserunt. Vterque quidem testatur, templum Iani in eadem regione fuisse, de quo Sext. Rufus his verbis, templum Iani gemini æreum quatuor portarum cum signo Iani, Opus Phidiæ, & Praxitelis ab Augusto dedicatum. quæ verba de hac structura intelligi non possunt. Sed & tametsi duo Iani fuerint; non ideo crediderim, de vico qui inter duos erat Horatium intellexisse; sed potius de hoc Iano. Admoneri scilicet eius aspectu ciues, quærendam esse ante omnia pecuniam. Et sane tametsi non fuisset moles posita in eum vsum, poterant tamen negotiantes lucricupidi, qui iuxta frequentes erant, non longe petitis ra-

tionibus

tionibus eius Dei autoritate sententiam illam probare, finem eius molis ad suas theses detorquentes. Cum enim nota Iani numus signaretur, Ianus pro numo sumi potuit. Quin & Mercurius, vt refert Macrobius ex veterum sententia, pro Iano sumebatur, cum lucro & mercaturæ præesse diceretur, quorum vtrunque ab vsu numorum pendet. Exemplum ex nostra angusta dactylotheca proferre possumus, Mercurium ex sarda gemma exscalptum addito rostro nauis, vt Mercurius Ianus notaretur. antiquum opus, vt & argumentum indicat. Et item alium ex lapide arabico, dextra loculos gestantem. Vidi etiam sigillum æreum Mercurij, loculos, & tabulam gestantis. Interdum etiam quadratus figurabatur, vt & Iani forma quadrata erat. Præterea Ianus Iunonius dictus est, quod calendis omnium mensium præesset, quemadmodum & Iuno. Calendis autem foenori pecunia ponebatur, vnde & calendarium foeneratorum dictum est. Adde, centesimæ vsuræ periodum centum mensium fuisse, quæ eadem octaeteridis erat. Vnde non infacete Horatius dixerit ex sententia foeneratorum, Ianum summum ab imo, hoc est totum hoc monimentum Iani tacite innuere, quærendam esse ante omnia pecuniam, & ab summo ad imum nihil nisi pecuniam, quæstum, & foenus prædicare. Nihil fuit igitur necesse, propter hunc Horatij locum Ianos plures extruere. cum de hoc vno Iano tantum ea omnia apposite dici potuerint. Sed ita vti quondam fuisse coniecimus, visum est hic formam eius adumbrare.



In illud templum æreum Iani gemini, cuius Sext. Rufus in eadem regione meminit, duo diuersa symbola in vnum congesta fuerunt, Iani gemini, & Iani quadrifrontis, quorum altero vetus annus Græcorum significabatur, altero vero tetraeteris. At sub duobus Ianis a nobis descriptis duo prætere a continebantur: nempe mensium plenorum & cauorum descriptio, & octaeteridis symbolum. Cum enim Græcorum inuentum fuerit Ianum quadratum formare, non abs re con iecerimus anni Greci rationes sub eo latuisse. Hoc argumen tum temporis in sepulchris frequenter vsurparunt veteres, vt his symbolis memoriæ defunctorum temporis diuturnitatem conciliarent. Ideo sepulchro Mausoli Cariæ reguli, quod ei Artemisia extruxit, addita est in sũmo quadriga mar morea, de cuius significatione iam diximus. Augustorum sepulchra, quę in eorum numismatibus exprimuntur, quaterno ambitu in altitudinem attolluntur, in summo semper quadriga est: vt in numo æreo Antonini, & item in alio L. Veri. Neque enim hic minus apposite quadrigam temporis symbolum esse dixerimus, quàm triumphi cum supra arcum triumphalem statuebatur. Adde in Mausoleo Augusti obeliscos fuisse. Et fama est Iulij Cęsaris cineres conditos fuisse pila ęnea quę est in cacumine obelisci, qui est in Vaticano. Pyramides Aegypti fuisse creduntur sepulchra regum. Et Sestius eadem ratione pyramide condi voluit, quę adhuc in Vrbe extat. Adeo frequenter temporis symbola veteres in sepulchris vsurparunt. Fuere etiam huiusmodi symbola tem porum in circis frequentia: maxime verò in circo maximo. huc enim pertinent obelisci, bigæ, & quadrigæ, vt diximus. Sed & carceres, metæ, oua, totus denique circus temporis argumentum erat, & decursio ipsa. De metis paulo fusius dicendum est. Duæ in diuersis circi partibus sitæ erant, quarum bases erant quadratę, duobus aduersis lateribus patentes. Vtrique basi ternę pyramides insistebant, rotundę, in cacumen sensim contractę. In summo erant oua. Bina latera aperta idem significabant quod geminæ portæ Iani. tres

vero

vero metæ trieteridem. Cum enim post triennium trieterica Bachi celebrarentur, & triennio rationes solis supra annum communem quindecim diebus excrescerent, vt tempora in annos solares digererentur, deerant singulis trienniis dies 15. binis vero trieteridibus confectis mensis plenus 30. dierum, cuius embolismo tempora post duas trieterides ad rationes solis redibant, intercalato preterea die vno singulis quadriennijs, propter quadrantem diei, qui singulis annis supra dierũ ratiocinia excrescebat. Ideo ternæ metæ seorsum dispositæ pro meta vna accipiebantur: a quarum altera ad oppositam decursio trieteridem significabat: ab illa rursus ad priorem reditus alteram trieteridem: totus vero ambitus periodum solarem ex 73. mensibus plenis. De trietericis enim Bachi veteres in ludis circensibus cogitasse, argumento est etiam Cibele leoni insidens ab vna meta ad aliam decurrens. ita enim in circo figurabatur pristini ritus veneratione. Sacra enim orgia colebant olim Phryges ad fluuium Gallum quarto quoque anno ineunte, vnde trieterita dicta sunt. Inde tametsi Romani ea sacra quotannis postea agerent, ad trieteridis memoriam in circis ea symbola posuerunt.


Vix e circo egressus sum, qua itur ad amphitheatrũ Vespasiani, quum occurrit septizoniũ. vbi ædificium iandudum inclinatum aspicio, tanquam ruinæ proximum. in quo columnæ aliæ super alias triplici ordine attolluntur: & dicitur fuisse animum autori ad septimum ordinem attollere, indeq; dictum septizoniũ. Plurimum apud me semper valuit antiquitatis autoritas: maxime si nobilium quorundam populorum, & felicis cuiusdam sæculi nota adscripta sit. Non enim facile fit vt credam, magno molimine quicquam a felicissimis ingenijs factum fuisse ob leuem aliquam causam. Itaque tametsi nihil comperti habeam, aliquid semper latere suspicor. & raro me hoc iudicium fallit, & si quando fallat in hanc tamen partem peccare malo, quam negligentius circa ea versari. De septizonio, cum primum illud mihi videre contigit; eo ipso quod passim viderem ignorari cui potissimum vsui

extru-

extructum fuiſſet, eo diligentius cepi illud ſcrutari, & niſi me coniectura admodum fallit, alium etiam vſum in eo deprehendi, præter eum de quo fama eſt, poſitum pro ſepulchro. Latere enim in eo ſuſpicor ſymbolum temporis aliud a ſuperioribus. Sed cuius tandem temporis? enneadecaeteridis. Tametſi mirum videri poſſit, cum enneadecaeteridis veſtigia nuſquam alibi notauerimus, eo tamen velle huius monimenti vſum detorquere, cum nomen aliud ſonet, & tota operis cōſtitutio quę nunc eſt, nihil minus ſignificare videatur. Hoc tamen verum eſt. Sed totum opus integritati ſuæ prius reſtituēdum eſt graphice. Id ita inſtitutum quondam, & vt credo adfectum fuit, vt quaternouendenis columnis totum opus ad inſtitutā magnitudinē aſſurgeret. tametſi hodie tres tantū trabeationes extent, ſuprema iniuria temporū collapſa: nullū enim apparet nunc operis faſtigiū. Sed et in colūnis quę ſuperſunt videre eſt, quaſdam in antiquarum locū ſubſtitutas fuiſſe. In ſingulis autem planis ſunt nouendenæ colūnæ: quarū quę in imo ſunt, Metonis enneadecaeteriden oſtēdūt, quę eodē annorū numero terminabatur. Tota vero operis cōſtitutio ex quaternis ordinibus conſtās periodū Calippicā ſignificabat, annorū numerū pari numero columnarum referens. quum ex quaternouendenis annis conſtaret. Diximus autem ſepties nouendenis annis opus eſſe, vt feriæ ſuis locis reſtituantur. hoc nuda ſeptizonij appellatione ſignificatum eſt. ne quis putet autorem vnquam cogitaſſe de opere ſupra quartā trabeationē attollēdo. Columnarū enim exilitas pati non potuiſſet, & Calippicæ periodi ratio potior fuit, quam feriarum. Vide igitur argutias. Columnæ omnes quæ eodem plano inſiſtunt periodum Metonis oſtendebāt, omnes ſimul ſumptæ Calippicam, nudo interea nomine aliud præterea indicante, nempe annorum numerum, qui neceſſarius erat, vt feriæ cum ijs conuenirent. Tametſi enim Romani dies menſis per ferias non diſtinguerent, fuit tamen ſemper in arcanis hæc feriarum diſpoſitio: propter planetarum viciſſitudines, quarum obſeruatio peruetus eſt.

Et


Et nisi res ita habeat vt dico, mirũ videri possit, tot simul obseruationes eodem pertinentes in eodem subiecto fortuito reperiri. Casu aliquid horum accidere possit; omnia verò simul contingere posse non sane crediderim. An vero recte de totius operis structura cõiecerimus, quæ olim eius forma fuerit, poterit ex sequẽtibus existimari: vbi duplex est ignographia, prior eorũ quę supersunt tantũ, altera est totius operis, vt olim fuisse existimamus. Vnum tantum hodie latus superest, & pars frontis, vbi quatuor columnæ quæ lateri proximæ sunt prominent, aliæ vero vnius intercolumnij spatio interius retractę sunt. Vnde totum opus ita restituendum esse duxi, vt frontis longitudine in partes decem diuisa pro numero intercoluminorum, retractio quatuor intercoluminis distingueretur, prominentię vero ternis: vt pars retracta ad prominentem esset in ratione sesquitertia. Patebat autem hac ratione totum ædificiũ a fronte ped. 73 per latera singula ped. 27 totius autẽ operis ambitus ped. 78. Cęterũ fama est fuisse sepulchrum Seueri. vulgus Virgilij fuisse dictitat, vt fere omnia quæ vulgi captum excedunt ei adscribi solent. Ego sepulchri monimentum fuisse existimo: cum hęc symbola temporum, vt dixi, sepulchris ad posite conuenirẽt, fausto omine æternę memoriæ. Seueri autem fuisse non ausim asserere, cum autores qui de regionibus vrbis scripserũt non vnius tantum Septizonij meminerint. Itaque operis tantum ignographiam exhibemus, vt nunc est, vtque olim ex his quæ supersunt vestigijs fuisse coniecimus. Et hactenus de temporum symbolis scripsisse sat erit.




A Periſtylium.
B Murus ſolidus.
C Locus vbi cineres reponebantur.

Reliqua ex coniectura ſupplenda eſſe duxi. cum non patiatur arctitecturæ ratio, molem eiuſmodi adeo in altum ſurgere ſine aliquo fulcimento. quo hodie nudatus murus ea parte ruinam minatur. Præterea adiungendæ fuerunt ſcalæ, quibus ſuperiora ſcanderentur. Et minimum habitatio quædam temporaria, vbi reliquiæ funerum componi poſſent dum conderentur.

D Igitur ea ſtatio eſt.
E Scalæ.



# ILLVSTRISSIMO
## ET REVERENDISS. PRINCIPI
### ALOYSIO ESTENSI S. R. E.
### CARDINALI AMPLISSIMO.





Vvm Romæ paucorum mensium hospes ex priscorum operum vestigijs architecturæ præcepta animo repeterem, vidi in multis ædificijs non bene constare rationes symmetriæ cum præceptis antiquorum. siue à principio ignorantia peccatum fuerit, siue exinde fuerint mutata, quæ exquisita arte primum facta fuerant. Et tamen vitia interdum laudari falsa antiquitatis specie. nec laudari tantum; sed & inde exempla peti. Vt existimare licet vel ex Pantheo Agrippæ, inter celebriora orbis opera quondam celebrato; vt vero nunc est, ne inter probabilia quidem censendo. quum pars altitudinis, quæ fuit quondam ab summo, vsque ad pauimentum, intercepta fuerit, contra symmetriæ leges. Et tamen quotusquisq; est, qui interiorem eius templi partem, vt nunc est, non agnoscat antiquam, et qui eius conmensum non probet. E diuerso quum eiusdem templi tholus summa quōdam arte perfectus, illæsus ad hęc vsque tempora manserit, nemo eius commensum sequitur. Nempe hodie pulchritudinem quisque suo sensu metitur, dum sibi nimium placent omnes, & antiqua fastidiunt. Atqui in architectura veteres vnam tantum

† pul-


pulchritudinis speciem agnouerunt, cuius numeros Hermogenes impleuisse dicitur, ducta ratione à commensu corporis humani, à qua si quis digrediatur errat, vt passim hodie errari video. Quo circa visum est hanc architecturæ partem ad sua principia reuocare: atque adeo in Pantheo, omnium quę extant hodię antiquarum ædium sacrarum nobilissima, tentare ecquid labor noster succederet. Quod si qui forte quirtent, indignum Gallum hospitem operum Romanorum rationes excutere, ad tuum patrocinium, quo iamdudum se iactat Gallia alumnus eius confugit: & hoc qualecunque est tibi dicat. Vt quum Christiani ritus non sinant mortalibus templa dedicari, saltem de sacris ædibus disputatio virtuti illi heroicæ, quam in te omnes suspiciunt, mirantur, colunt, cultus erga te mei perpetuo testimonio dedicetur.

*Amplitudini vestræ*

*Deditissimus ser.*

*Lud. Demontiosius.*

# LVDOVICI DEMONTIOSII
## GALLVS ROMÆ HOSPES.
## DE PANTHEO, ET SYMMETRIA ÆDIVM SACRARVM.





NTER celeberrima opera, quæ vnquam in toto orbe terrarum fuerunt, Plinius annumerat Pantheum Agrippæ. Si quidem cum orbis miracula retulit, ea omnia longe victa esse contendit ab ijs quę visa sunt Romæ. In quibus pręcipua hæc enumerat. circum maximum a Cęsare dictatore extructum, basilicam Pauli, forum diui Augusti, templum pacis, & Pantheum Ioui vltori ab Agrippa factum. Illa temporum iniuria, & furore barbarorum corruerunt, postremum hoc durat adhuc; sed multum tamen mutatum ab illo quod quondam fuit. Mitto parietum ornamenta; sed & forma ipsa mutata est. Quippe cum excelsum è plano surgeret, hodie tredecim gradibus descenditur in porticum, multis ornamentis sub terra defossis, & cum ijs hoc Plinij loco, qui obrutus est eodem pene euentu. Quocirca eiusdẽ conatus fuerit vtrique succurrere: vt & templum ipsum a fundamentis conspiciendum exhibeamus, & locum Plinij ex densa illa caligine qua iandudũ premitnr proferamus in lucem. Primum igitur videndum est quæ essent illæ caryatides ab autore nostro celebratæ, & vbi sitæ essent. Tum si qua earum supersint hodie vestigia. Existimarunt recentiores artifices, caryatides ab antiquis pro columnis tantum oneri ferendo factas fuisse, & omnes eodem modo positas. Ideo cum Pantheum omne diligenter oculis perlustrassent his Plinij verbis admoniti, nec tamen vlla vestigia earum odorari possent, sed ne locum quidem reperire

A cui

cui olim insistere potuisset, rē vltra nō promouerūt. At viris doctis subolucrat caryatidū non vnū tantū genus fuisse. sed defuere illis exēpla. Accidit forte cū aliquando ante ædē illā iter facerē vnà cū Iulio Iacobonio, viro antiquitatis studiosissimo, vt loci aspectu admonitus sciscitarer ex eo vidisset ne vnquā ibi mulier: effigies marmoreas velut oneri ferūdo positas, aut fragmenta quædam eiusmodi. Tum ille ostēdit mihi quatuor capita mulierum. in fronte porticus ad dextram humeris tenus supra terram extantia, ex totidem tabulis marmoreis excalpta, sed asserebat se vidisse mulierum formas integras, egesta quondam inde terra, qua nunc obrutæ latent. Visus sū ilico videre caryatides illas diu a me quæsitas. Quippe cum supra caput earum marmor ex eadem tabula prominéat, earum capitibus tota illa proiectura inniti videtur, illæ vero destinatæ oneri ferendo. Præterea varius est earum ornatus, & peregrinus. vt vel id admonere videatur cuius sint conditionis. Notum est ex Vitruuio vnde primum caryatidū vsus in ædificia trāsierit. Caria inquit ciuitas Peloponnesi cū Persis hostibus contra Græciam consensit. postea Græci per victoriam gloriose bello liberati, communi consilio Caryatibus bellū indixerūt. Itaque oppido capto, viris interfectis, ciuitate deleta; matronas eorum in seruitutē abduxerunt: nec sunt passi stolas, neque ornatus matronales deponere: vti nō vno triūpho ducerentur, sed æterno seruitutis exēplo graui contumelia pressæ pœnas pendere viderentur pro ciuitate. Ideo qui tunc architecti fuerunt ædificijs publicis designarunt earum imagines oneri ferundo collocatas, vt etiam posteris nota pœna peccati caryatiū memoria traderetur. Hoc Vitruuij indicio quis non agnoscat hæc signa? Sed hoc puto fucū fecisse viris alioqui perspicacissimis, quod ait Vitruuius, olim pro colūnis in opere statui solitas. Atqui has nemo vnquā pro colūnis agnouerit. Sed autor primū caryatidū vsum ostendit, quē postea architecti nō dissimili argumēto aliorsū etiā traduxerunt, sicubi oneri ferundo inseruire posse viderētur. Denique Plinij verba ostendunt has in colūnis templi

fuisse,

fuisse, non pro columnis adpositas. En igitur quæsitas caryatides, infausto, si sic loqui fas est, sydere natas caryatides: primum oneri ferendo victorum insolentia destinatas, nunc temporum iniuria mutilatas, humi etiam defossas; tametsi mores antiqui a tropheis iuberent abstinere. Locis igitur suis reponendæ sunt, quando hunc honorem victis etiam tribui nulla est inuidia. Sed eiusdem operæ est templum ipsum a fundamentis restituere. Nam vt nunc est non Agrippa agnoscat, si sit rediuiuus. Sed priusquam operi manum admouemus, de symmetria disputandum est: quia hac parte templum maxime laborat. Consulatur hac de re Vitruuius, vnde Architecti, tanquam a tripode responsa petunt. Is cap. 1. lib. 3. Aedium inquit compositio constat ex symmetria, cuius rationem diligentissime architecti tenere debent. Ea autem pariter ex proportione, quę gręcis ἀναλογία dicitur. Proportio est ratæ partis membrorum in omni opere, totiusq; cōmodulatio, ex qua ratio efficitur symmetriarum. Nanque non potest ædes vlla sine symmetria, atque proportione rationem habere cōpositionis, nisi vti ad hominis bene figurati, membrorum habuerit exactam rationē. Hæc ille. deinde partiū hominis symmetriam persequēs subiungit. similiter verò sacrarum ędium membra ad vniuersam totius magnitudinis summam ex partibus singulis cōuenientissimum debent habere commensuum respōsum. Item corporis centrum medium naturaliter est vmbilicus. Nanque si homo collocatus fuerit supinus, manibus & pedibus pansis, circiniq; collocatum centrum in vmbilico eius, circum agendo retundationem, vtrarumq; manuum & pedum digiti linea tangentur. Non minus quemadmodum schema rotundationis in corpore efficitur, item quadrata designatio in eo inuenitur. Nam si a pedibus imis ad summum caput mensum erit, eaque mensura relata fuerit ad manus pansas, inuenietur eadem latitudo vti altitudo, quemadmodum areæ, quæ ad normam sunt quadratæ. En vt aperte dicit ex symmetria potissimum constare; imo sine ea nullam

eſſe ſacrarum ędium compoſitionem. Hanc autem ad hominis bene figurati rationes exigendam eſſe: cum in eo vtraque deſignatio reperiatur, rotunda videlicet, & quadrata. Sed nõ ſemper eundem commenſum ſequutos fuiſſe architectos, oſtendit circa initium libri quarti: qui locus ad ſymmetriæ explicationem huic nectendus eſt. Ibi de ciuitatibus, quas colonię Athenienſium de communi totius Græciæ conſenſu in Aſiam miſſæ occupauerant, ſic ait. Hæ ciuitates cum Caras, & Lelegas eieciſſent, eam terræ regionem a duce ſuo Ione appellauerunt Ioniam. Ibique templa deorum immortalium conſtituentes, cœperunt phana ędificare: & primum Apollini Panionio ædem vti viderant in Achaia conſtituerunt, & eam doricam appellauerũt: quod in Doricon ciuitatibus primũ factã eo genere vidiſſent. In ea æde cum voluiſſent colũnas collocare, non habẽtes ſymmetrias earũ, & quęrentes quibus rationibus efficere poſſent vti & ad onus ferendum eſſent idoneæ, & in aſpectu probatam haberent venuſtatem, dimenſi ſunt virilis pedis veſtigium. & cum inueniſſent pedem ſextam partem eſſe altitudinis in homine, ita in columnam tranſtulerunt: & qua craſſitudine fecerunt baſim ſcapi, tantum eam ſexies cum capitulo in altitudinem extulerunt. Ita dorica columna virilis corporis proportionem, & firmitatem, & venuſtatem in ędificijs pręſtare cœpit. Verba ipſa Vitruuij refero: quia ex ijs, & ijs quę ſequuntur ſymmetrię rationes hauriendæ ſunt. Pergens igitur. Item poſtea inquit, Dianę conſtituere ędem quęrentes, noui generis ſpeciẽ ijſdem veſtigijs ad muliebrem tranſtulerunt gracilitatem: & fecerunt primum columnę craſſitudinem altitudinis octaua parte. Vt haberent ſpeciem excelſiorem, baſi ſpiram ſuppoſuerunt pro calceo, capitulo volutas, vti capillamento concriſpantes cincinnos prependentes, dextra, ac ſiniſtra collocauęrunt: & cymatijs, & encarpis pro crinibus diſpoſitis frontes ornauerunt: truncoq; toto ſtrias, vti ſtolarum rugas matronali more demiſerunt. Ita duobus diſcriminibus columnarum, inuentionem unam virili ſine ornamento nudam ſpecie, alteram

teram muliebri subtilitate,& ornatu, symmetriaq; sunt imitati. Posteri vero elegantia, subtilitateq; iudiciorum progressi,& graciliorib9 modulis delectati, septem crassitudinis diametros in altitudinem columnæ doricæ, ionicæ octo semis constituerunt. Hactenus sunt verba Vitruuij. Cęterum corinthijs eadem ratio quę ionicis, prętercapitula. Nam Corinthij capituli eadem est altitudo, quę colligitur ima columnę crassitudine: ionici vero altitudo tertia pars est crassitudinis. Ideo Corinthię columnę graciliores videntur, a virginibus ducta symmetria, quę inquit idem autor, propter ętatis teneritatem gracilioribus membris figuratę, effectus recipiunt in ornatu venustiores. Doricum igitur genus virilis corporis proportionem, & firmitatem habet. ionicũ verò & corinthium muliebris. Nam in homine forma quadrata probatur, in muliere laudatur gracilis. Maxime verò in virginibus. Vnde illud Terentij, si quę habitior paulo sit, pugilem vocant, subducunt cibum, reddũt curatura iunceas. Denique mulieres omnes longiores videri volunt, ad id etiam crepidarum adminiculo vtutur. vt de forma virili tantum ea intelligenda sint, æquę latam esse pansis manibus, quãtum a vertice ad imum; nõ item de forma muliebri. His concessis iam ad Pantheum Agrippę accedamus, vt eius rationes scrutemur. Occurrit primum duplex porticus, vtraque operis corinthij. Hostium templi, eius antepagmenta, supercilium, lumen, totum denique hostium eiusdem generis est. In ipso templo omnes columnę sunt corinthię; & tamen summa operis aliud prę se fert, cum sit forma quadrata, vt primo aspectu iudicaui, cum primũ hoc templum mihi videre contigit, & deinde adhibita mensura ita esse deprehendi, cum latitudinem comperissem esse ęqualem altitudini. En hermaphroditum architecturæ genus. summa operis virilis est, partes eius muliebres. Nam forma quadrata, vt dixi, virilis est, rationes autem corinthię muliebres. Nulla est hic igitur symmetria. hæc enim nihil aliud est, quàm partium inuicem, & earundem ad vniuersum commensus. Ergo Ierrebecimũ opus, quodque a Plinio inter nobilissima orbis

censetur

censetur improbabimus? absit. Imo vero ad exquisitam architecturæ normam constructum fuisse existimo. Sed congestitium nunc esse, eiusq; tantum sub terra latere, quantum illi ad iustam symmetriam deest. Itaque restitui non potest, nisi egestis ruderibus. non ijs tantum quæ sunt extra templum, sed & ijs quæ plurima sunt intus. Nec mirum, cum in alijs plerisque locis vrbis simili ruderum cōgerie innumera antiquitatis monumenta obruta sint. maxime in locis humilioribus: tantæ fuerunt antiquę vrbis ruinæ. In Pantheo verò quantum hac congerie detractum fuerit mensuræ altitudinis, ex symmetria iudicari potest. Hæc ita colligetur. Diameter latitudinis est palmorū 178. de palmo dodrantali intelligo, quo vtuntur Itali, qui veteribus dodrans dicebatur. palmus enim erat tantum trium vnciarum. Hęc igitur latitudo in partes septem & dimidiam vnius septimę tribuatur, vel in quindecim dimidias partes: eodem enim redeunt rationes, si pro quolibet integro duas dimidias partes sumamus. Ex his quindecimis partibus vna sit nobis modulus, ad cuius commodulationem totius operis rationes exigantur. Cum igitur Dorica symmetria, quæ quadrata est, cum partibus huius operis non consentiat, eius loco vsurpāda est muliebris, vt partium proportiones postulant. Differentia inter has species est trium modulorum, hoc est vnius integri cum dimidio. totam autem latitudinis mensuram esse diximus 178 palmorum, vel 356 modulorum (semissem enim pro modulo sumpsimus) quæ latitudo in 14 partes diuidenda est, prodeunt in singulas moduli 51. Si igitur ter quinquaginta & vnum modulum supra rationes doricas addamus, & ad huius differentiæ altitudinem terra effodiatur, surget opus corinthium. quod cum primum ita fuisset exstructum falsis postea ratiocinationibus ad doricas rationes tractum est. Sed condonetur hoc moribus, & ignorantię sęculi. Miror magis recentiores, si non templi formam ipsam, at saltem errorem non animaduertisse. Imo verò probauisse, & pro canone habuisse, vnde pręcepta artis peterent. Hoc tamen veterum so-

lertiam

lertiam non fugerat, refert enim Vitruuius cap. 3. lib 4. quosdam antiquos architectos negasse dorico genere ædes sacras fieri oportere: quod mendosæ, & inconuenientes symmetriæ in his cóficerentur. Itaque negasse Tarchesium, item Pitheum, nec minus Hermogenem, qui cum paratá habuisset marmoris copiam in doricæ ædis perfectionem, commutauit, & ex eadem copia eam doricam Libero patri fecit. Cur autem hæc species displicuerit, putat autor noster in causa fuisse incommodam triglyphorum, & lacunariorum in operibus distributionem, qua commutata vt a suis præceptoribus acceperat, ab Hermogene alijsq; dissentit. Sed eius pace dixerim, totius operis commodulatio vitiosa est. Quocirca veteres illi architecti negabant omnino dorico genere ædes sacras fieri oportere. Imo & Vitruuius ipse fateatur, si rediuiuus hoc architecturæ genus contempletur. Non enim de triglyphis, aut metopis hic quæstio est; sed de symmetria, & de summa operis, quæ infelix omnino est, & eadem semper futura, dum manebit hæc forma. Itaque non abs re sententiam mutauit Hermogenes, Ionicam ædem libero patri faciens, quam antea dorico genere facere instituerat. Hermogenes inquam quem acuta, magnaq; solertia effectus operum fecisse testatur Idem Vitruuius, reliquisseq; fontes, vnde posteri possent haurire artis rationes. Nunc vitio deprehenso operępretium est illud emendare, vt opus integrum a fundamentis restituatur: interpellant enim caryatides nostræ, itidem & ipsę ruderibus obrutæ, misellæ caryatides. Herculeus sane labor, hoc templum velle repurgare. Sed vt mathematici solent, rem ipsam demonstremus procul ab omni materia, & dicto citius opus ipsum pristinæ formæ restituetur. Primum cum intus maxima templi latitudo sit 356. modulorum cum dimidio fere, qui numerus diuisus per 14. dat quotienti 25. hic vero numerus ter multiplicatus 76, si hunc numerum addamus mensuræ latitudinis; vt corinthiæ rationes postulant, erit tota altitudo tépli, ab imo ad summum modulorum 423. ab imo vero

paui-

pauimento quod quondam fuit, ad hoc lithoſtratum tota altitudo erit modulorum 76. quanta ſcilicet differentia eſt inter doricam ſymmetriam,& corinthiam. Hoc quanquam ex ſymmetriæ canonibus ſatis conſtet, notabo tamen huius ratiocinationis alia veſtigia, vnde hoc mihi primum ſuboluit. Eſt enim mihi gratiſſima hnius exantlati laboris recordatio. Primum cum diligẽtius oculis omnia luſtrarem, diſplieebat ratio altitudinis,ad latitudinem. Deinde cum Plinij deſcriptionem animo repeterem,quęrebam vbinam olim collocatę fuiſſent caryatides. Nam tametſi nulla earũ veſtigia apparerent,non ideo erat animus Plinium arguere mendacij. Prętерea cum templum eſſet omnium deorum,reperire non poteram, vbi antiquo ritu ſimulachra appoſite collocarentur. Sed nec tribunal deſcriptis a Vitruuio rationibus conuenire videbam. Ad hęc cum columnarum partes ſingulas oculis metirer,vidi in ſingulis plintum tenuiorem eſſe, quàm columnarum commenſus exigeret. Videbam præterea a porticu in templum vno gradu deſcendi;cum cauſa nulla ſubeſſet cur non a principio æquata fuiſſent omnia. Tandem etiã rurſus, ad plinti ſymmetriam conuerſus explorare volui, num plintus olim craſſior fuiſſet. Et certe ita comperi;ſed occultari partem craſſitudinis ab hoc lithoſtrato. Prętерea eundem lapidem cui plintus inſiſtit,nõ ad libellam cum plintide terminari,ſed longius ſub lithoſtratum extendi,vt ſolent ſtylobatarum proiecturę.Hęc inſiſtens veſtigia,tandem odoratus ſum locum diu a me quæſitum : vbi vera templi ſpecies tot annis latuerat. quam ſimul aſpexi agnoui, nec ſatis eſſe duxi, niſi & caryatidum menſura ad vnguem conueniret. Itaque ad eas recurro; exploro quanta ſit latitudo marmoris ex quo excalptæ ſunt. comperio eandem eius latitudinem, atque plintidum columnarum templi, eandem etiam marmoris ſpeciem. Enimuero tum demum mihi gratulari cœpi, cum omnia viderem coniecturis noſtris ſuffragari, nec quicquam diſcrepare. Itaque his compertis videre viſus ſum templum ipſum egeſta terra, a fundamentis priſtinæ formæ

reſti-

restitutum, & eius speciem totius orientis miraculis à Plinio quondam prælatam, nũc primum denuo e tenebris emergere situ, & squalore depositis. Totam autem altitudinem, quæ intercepta fuerat ita commode distribui posse visum est, si stylobatis columnarum templi cum coronice, & basi dentur palmi tredecim: vt inter coronicem & basim relinquantur pro singulorum stylobatarum altitudine palmi deni, & pro latitudine seni. Hic olim collatæ fuerunt caryatides, ad templi speciem ornandam, inde imperitorum manibus reuulsæ fuerunt. nunc igitur pristinum locum repetite caryatides. Nec vero mihi quisquam hoc negauerit, cum marmoris ex quo exscalptæ estis, & plinti columnarum latitudo sit eadem, & eadem vtriusque marmoris species. Stylobatæ autem eadem quoque latitudo fuerit, atque plinti. Ite igitur in pristinas sedes caryatides. Stylobatas autem in eiusmodi operibus adponi debere docet Vitruuius cap. 3. lib. 3. Structura inquit p totum solum quam solidissima fiat: supraque terram parietes extruantur sub columnis dimidio crassiores quam columnæ sint futuræ: vt firmiora sint inferiora superioribus, quæ stereobatæ appellantur: nam recipiunt onera. spirarumq; proiecturæ non procedant extra solidum. Item supra parietes ad eundem modum crassitudo seruanda est. Et paulo post, Extructis autem fundamentis ad libramẽtum stylobatæ sunt collocandi, supra stylobatas columnæ disponendæ. Idipsum etiam ostenditur cap. 7. lib. 4. Vide igitur stylobatarum vsum, & an hactenus hæc noua species quam templo inducimus cum veterum rationibus cõsentiat. Coronices autem & bases stylobatarũ perpetuæ templi rotundationem cingebant, sub stylobatis prominentes, in intercolumnis retractæ. quæ prominentiæ & retractiones Vitruuio scamilli dicuntur. vt obiter hoc etiam doceam quod interpretes non explicarunt. Nam quod Vitruuius præcipit stylobatas semper disponendos esse per scamillos impares, hoc vult, vt proiecturæ & retractiones simul sumpte sint impares. Nã si secus fiat, in eadem syzigia columnarum è duobus extremis sca-

millis alter erit semper vacuus. Prætere a alter extra parietem proijcietur alter, vero semper recedet introrsus : cum duorum extremorum eiusdem ordinis eadem semper debeat esse ratio. Hoc apertius notari non potuit, quam per scamillorum imparitatem. nam columnarum & intercolumniorum nihil refert par, vel impar sit numerus, dum impares sint scamilli. Iam a plintis columnarum, vsque ad bases stylobatum ornamenta templi descripsimus. Ad hanc vsque templi Zonam gradibus descendebatur. nempe ab hostij limine vsque ad parietes stylolatum, quibus affixæ erant caryatides: dispositis in ea parietis crassitudine gradibus decem, vndecim vero cum ipso limine: Nam Vitruuius gradum mensuram ita finiendam censet, vt retractiones singulorũ ne minores sint sesquipede, neque duobus pedibus maiores. altitudinem verò nec minorem dodrante, nec maiorem dextante. Si igitur sesquipedali latitudine hos gradus finiamus, omnium latitudo erit quadraginta modulorum, siue 20. palmorum dodrantalium. Et recte, tãta est enim latitudo parietis, dempto limine vsque ad stylobatum prominentiam. Descensus verò, si dextantarios singulos gradus fecerimus, erit tota altitudo 12 palmorum & duarum vnciarum, quantam esse diximus stylobatæ altitudinem, cum coronice, & basi. Postquam vndecim gradibus descensum erat, a fronte vltimi gradus, quanta erat proiectura basis stylobatarum, spatium trium fere graduum sternebatur, quod esset instar alterius liminis, & gradus superiores ab inferioribus distingeret, essetque tanquam modulus crassitudinis profundamento columnarum. Super sunt adhuc de tota altitudine quę fuerat intercepta palmi 25, quos in gradus 22. tribuemus, dextantariæ altitudinis, ambitum templi pręcingentes, eius centro ductis parallelis sesqui pedalibus interuallis, vt ab extremo ad intimum pateat spatium 44. palmorum. Totam autem latitudinem templi diximus esse palmorum 178. Itaque si templi diameter diuidatur in quatuor partes ęquales, ab extremis gradibus ad intimos centrum versus vtrinque quarta pars totus diametri gradi-


bus

bus tribuetur, duæ vero quartæ hinc inde in medio templi vacuæ remanebunt. Nunc in intimo gradu constitutus suspice tholum, videbis intimam quadragulorum tholi circinationem intimæ graduum circinationi ad perpendiculum respondere. Vt inde facile conijcias, architectum in animo habuisse inferiorem partem templi quodammodo in hæmispherij superioris figuram formare, vt inferiora superioribus responderent. Alioqui tholi pyramides protracturus erat artifex, vt in alijs tectis rotundis. in quibus ab ima tecti incuruatione pyramides omnes coeunt in florem, qui tecti tanquam vmbilicus est. Nam quæ Philander de tholo, de flore, & de pyramide comminiscitur, næ ille aberrat toto cælo, nec satis videtur intellexisse, quid esset tholus, quid pyramis, quid flos. quæ vt dicam inuitus sane adducor, cum alias sæpe de hoc autore bene meritum sciam. Hoc etiam adnotare libet, ita rationes huius templi constitutas fuisse, vt extrinsecus in parte tecti conuexa eandem graduum symmetriam seruarit artifex; vt non tantum inferiora superioribus; verumetiam exteriora interioribus responderent. Sed cum hoc templum pantheum fuerit appellatum, vbi nam, & quo ordine deorum simulacra in eo collocabantur? Non enim dijs omnibus eodem loco sacra fiebant. Sextus Pompeius autor est antiquos dijs superis in ædificijs a terra exaltatis sacra fecisse, dijs terrestribus in terra, dijs infernalibus in effossa terra. Primum Ioui tribunal extruendum fuit, cui primum hoc templum dedicatum erat. Hoc è regione aditus templi conspicitur, vbi nunc destructis Idolis est altare maius. Scribit Vitruuius ædes sacras quæ sine cella fiebant tribunal habuisse. Tribunalis autem mentionem facit in duobus locis multum dissitis. In vno ascensum fieri præcipit ex diametri tertia parte, cap. 7. lib. 4. In altero qui est in cap. 1. lib. 5. eius formationem describit his verbis. Item tribunal est in eadem æde hemicyclij schematis, minore curuatura formatum. Eius autem hemicyclij in fronte est interuallum pedum 46. Introrsus

ſus curuatura pedum 15. Nam tametſi hic de tribunali baſilicarum, ibi vero de tribunali ędium ſacrarum loquitur, candē tamen vtriuſque rationē eſſe inde apparet, quod in vtroque triplā ratione ſequutus ſit. Sed quadraginta quinque legendum eſt in hoc poſteriore loco, non 46. vt habet meum exemplar. Quorſum enim quadrageſima quinta parte tantū a tripla ratione differret? Nunc igitur hęc omnia in vnum colligantur. Tribunalis curuatura erit tertię partis totius latitudinis, aſcenſus item tertiæ partis. vt in hoc tribunali panthei noſtri interuallum frontis patet palmis dodrantalibus 36. horum tertia pars, palmi 12. qui in in decem gradus tribuendi ſunt dodrantalis altitudinis: retractio vero ſingulorum erit vnciarum 11. hęc enim menſura pro magnitudine tribunalis ſatis ampla eſt. Imus gradus ab imo ſtylobatum incipiet. altitudo vero omnium eadem fuerit, atque ſtylobatum. ſic enim reſpondebunt ijs qui exaduerſo in ingreſſu templi diſpoſiti erant.

Deorum vero ſimulacra ita erant diſpoſita. In tribunali Iupiter excelſa ſede locatus erat. alij vero dij cęleſtes, vt gentilium more loquar, in ędiculis illis quæ eminēt in ſolida parte muri circa templi ambitum. Dij vero terreſtres in intercolumnijs ſiti erant. Nam ideo videntur ędiculæ illę fuiſſe excauatæ in ſolida parte muri, vt cum in frōte deorum ſimulacra collocata eſſent, pone tanquam ſuum tribunal haberent. Infernales vero in effoſſa terra, intra eam fornicationem, quæ erat ſub gradibus potuerunt collocari. Sic enim deorum ſimulacra ſuis locis conuenienter diſpoſita fuerint. Sed pręſtat omnia, quantum chartæ anguſtia patitur, oculis ſubijcere. In priore pagina vnam ex quatuor caryatidibus, quæ terra ſemiobrutæ ante aditum porticus ad dextram conſpiciuntur: vnde figura integra exiſtimari poſſit. In altera pagina, interiorem partem templi, vt olim fuiſſe conijcimus, ab imo ad ſummum delineandam curaui.





Nunc lectorem in ipso templi ingressu optarim, vt animo duorum hemisphęriorum symmetriam animo cõtempletur, & secum reputet alia templi ornamenta, quæ vel ex tholi vestigijs quadantenus existimare poterit harum rerum bonus arbiter. Nolo his quæ certissimis argumentis ex ipsis fontibus artis hausimus miscere coniectanea, quæ plurima nobis inter scribendum occurrerunt. tametsi non iniucunda forte futura sint lectori. sed templi formam adumbrare tantum cogitamus. Interea tamen nolumus exteriorem templi partem inornatam relinquere, vt integrum opus si fieri possit pristinæ formæ restituamus. si id præstare non possumus, rudera saltem egeremus, alij quibus plus otij suppetet laborem promoueant. Duplex est porticus ante aditum templi ambę additię; non enim ex prima operis designatione ita ab autore fuerunt positæ. Hoc ita esse commissura ipsa indicat. Aliud indicium est, quod coronices non bene terminentur qua parte templum contingunt, cum debuerint perpetuæ duci per templi ambitum. Sed ne ambæ quidem porticus eiusdem operę fuerunt, vt vel mediocriter in architectura versati norunt. Eius quæ templo proxima est latera tecta erant crustis marmoreis, varijs ex eis exsculptis ornamentis, egregijs sane, sed parum eminentibus. Nec minus elegans fuit interior pars porticus. Sed mitto ornamenta, de symmetria enim tantum dicere instituti: ad quam cum vtranque porticum conarer exigere, comperi latitudinis ad altitudinem eandem esse rationem, atque latitudinis templi ad eiusdem altitudinem. Porticus altitudinem sumo ab solo cui insistunt columnæ ad cacumen tympani cum summo acroterio, arulam illam intelligo quæ est in cacumine tympani, quæ tametsi non habeat iustam acroterij altitudinem, cum ijs tamen quę supra eam erant posita, acroterij altitudinem æquabant. Templi autem ab eodẽ solo, vsq; ad fastigium tecti altitudo est pedum 139. latitudo vero cum parietum crassitudine pedum 170. est enim muri crassitudo pedum 18, quę dulpicãda est. Porticus cõmensum deprehẽdi ex vnius colũnę modulo crassi-

crassitudinis pedum 4. in subdupla ratione ad intercolumnium: cum viderem octo colũnas generis corinthij in fronte porticus dispositas ęqualibus intercolumnijs, vnde rationibus subductis colligebam, porticus latitudinem esse pedũ 100, altitudinem vero cum summo acroterio ped. 82.

Sed dũ sumus in porticu, libet pauca de porticibus adnotare, quibus plectis possit lector operũ habere delectũ. Sunt enim apud quos sola antiquitatis nota nullo discrimine omnia commendat. Hoc mihi nunc ex hac porticu in mentem venit, quę inter pręclara antiquitatis opera laudatur. Et tamen si totum opus ad seueriorem normam exigamus, reperiemus ne vitio quidem carere. Autorem habeo Vitruuium. Cum enim quinque sint ei ędium sacrarũ genera, pignostylos, sistylos, diastylos, areostylos, & eustylos, postremum genus tantum probat, cuius rationes præscribit siue tetrastylos, siue exastylos, siue octastylos constituatur, vt totum opus habeat figurationis aspectum venustum. In octastylo, cuiusmodi est hęc porticus, frons diuidenda est in partes 24. & semissem, ex quibus vna pars sumenda pro modulo, cuius moduli vnius sit crassitudo columnarum. Intercolumnia singula, pręter mediana, modulorum duorum & moduli quartę partis, mediana trium. Colũnarum altitudo octo & dimidię partis moduli. Et has rationes testatur sequutum fuisse Hermogenem in Theoctastylo Liberi patris in Asia. Atqui octastylos panthei non conuenit cum hac descriptione. Quid igitur Augusti temporibus, in quę cum multi alij nobiles architecti, tum Vitruuius ipse incurrit, peccari artis huius ignoratione potuit? maxime in ipso aditu nobilissimi templi? non sane. Sed meminerit lector artis præcepta tum demum ad vnguem seruanda esse, cum loci, & adiacentium natura sinit; sin minus, quam proxime fieri possit. Et in eo mihi sane probari videtur ingenium artificis, si possit incommoda quę occurrunt, arti conciliare. In hac porticu non liberum fuit architecto artis præceptis obsequi, cum addititia esset facienda, non ex prima templi designatione. Itaque prioribus

operibus

operibus aliquid indulgendum fuit. Tum etiam columnæ aliunde aduectæ in eius porticus vſum paratæ non fuerant. Id cum animaduertiſſet architectus, atque ideo exquiſitam rationem ſeruari non poſſe, excuſationem hanc vitio prætexuit: vt ſcilicet affectaſſe videretur in porticu ſimilitudinem rationis eius quæ eſſet in exteriore parte templi. Neque id infæliciter ceſſit, imo vel ex eo iudicium exquiſitum eius notari poteſt, qui tot obſtantibus impedimentis potuerit operi pulchritudinem quandam conciliare. Totum igitur opus pſeudodipteron fecit, exemplo illius nobilis theoctaſtyli. ex dipteri enim ratione ſuſtulit interiores ordines columnarũ, vt fecerat Hermogenes. Artificis igitur in eo ſolertiam laudo, ſed vt exemplar non probo. Quin & Hermogenes ipſe, a quo tanquam a fonte exempla petit Vitruuius, octaſtylon fecit propter loci præſcriptam amplitudinem; non quod hoc genus partibus omnibus abſolutum exiſtimarit: tametſi Hermogenis æmulus Vitruuius perfectum agnoſcat. Sed Vitruuium optarim memorem eorum quæ iam ante profeſſus eſt; aut minus Hermogeni addictum. Iam enim docuit, & recte, non poſſe ædem vllam ſine ſymmetria, atque proportione rationem habere compoſitionis, & niſi ad hominis bene figurati, compoſitio rationem habuerit membrorum. Deinde ne quis dubitare poſſet, quæ eſſet hominis membrorum perfectiſſima ratio, commenſum omnium deſcribit. ne putet artifex licere ſibi pulchritudinem ſuo ſenſu metiri. Nam quot fuere nobiles fictores, & pictores Venerem vnam tantum agnouerunt, eam reiectis alijs coluerunt. Cum igitur ad hominis bene figurati membrorum exactam rationẽ ædes ſacræ extruendæ ſint, hominis autem vnus ſit tantum commenſus, ſi quęratur quęnam ſpecies mihi pręceteris probetur, euſtylon tetraſtylon omnibus prætulerim. Imo ne reliquis quidem vti velim niſi coactus. Vt ita ſentiam in cauſa eſt ſymmetria, & ſymmetriæ fidelis interpres Vitruuius, qui poſtquam aliorum generum vitia notauit, euſtili rationem maxime probabilem eſſe dixit, & ad vſum & ad ſpeciem, &

ad firmitatem rationes habere explicatas. Eius autem rationes sic explicat, vt frons loci diuidatur in partes 18, ex his vna sit modulus, cuius moduli vnius sit crassitudo columnarum, intercolumnia singula, præter mediana, duorum modulorum, & moduli quartæ partis, mediana vero in fronte & postico singula ternum. sic enim, inquit, habebit & figurationis aspectum venustum, & aditus vsum sine impeditionibus, & circa cellam ambulatio autoritatem. Triplici argumēto hoc genus commendat, a venustate aspectus, ab vsu, ab operis autoritate. In quo autem consisteret venustas aspectus, dictum sat esse existimauit. Nempe si ad hominis exemplum totum opus constitutum esset; id autem nisi in eustylo tetrastylo seruari non potest, quod quia Vitruuius non explicauit, id mihi nunc oneris incumbit. Igitur exempli gratia, frons loci eustylos tetrastylos fiat. Imo quia mathematicorum more operamur, dictum factum existimetur. Tum homo eiusdem altitudinis ita in fronte erectus collocetur, vt pedibus iunctis eidē insistat plano, cui & plintides columnarum, vertice autem capitis tympani cacumen contingat. Cum ita constitutus fuerit, si brachia pandat quam maxime poterit, totum illud spatium quod inter extremos digitos patebit, erit æquale longitudini coronæ. Vide autem vt ab hominis symmetria ducta ratione, singularum huius operis partium rationē veteres inuestigarint. Columnæ ionicæ vel corinthiæ altitudo cum sua spira constat ex modulis crassitudinis nouem: octo scilicet cum dimidia parte vnius moduli pro scapo columnæ, altera vero dimidia parte moduli pro spira, quæ ratio, vt iam ostēdimus ex Vitruuio, a commensu corporis muliebris sumpta est. Deinde cum ad columnarū symmetriam ædes sacras extruere vellent, easdem rationes in toto opere seruarunt. Cumque totius commensum in fronte vellent explicare, eustylon tetrastylon ijsdem rationibus fecerunt; cuius altitudo esset longitudini æqualis. tota enim longitudine coronę, quantum patet inter extrema cimatia, in nouem partes diuisa, vt harum vna esset pro modulo, ex ijs partem

vnam tympano tribuerunt, ei altitudini quæ est a tympano deorsum vsque ad imum reliquas octo partes. Sed quemadmodum columnis in nouem partes diuisis dimidium vnius partis tribuitur spiræ, si eodem modo altitudinem quæ est a fastigio tympani vsque ad imum, in nouem partes diuiserimus, & vnius partis dimidium in imo relinquamus, eadem erit ratio altitudinis tympani ad altitudinē totius operis prę-ter spiram, atque in figura virili eius interualli quod est inter mentum & radicem capillorum, ad totam longitudinem, quę est ab vertice vsque ad imum totius corporis. Nam a mento ad radicem imam capillorum decima pars est totius longitudinis, secundum Vitruuium: & tympanum decimæ quoque partis esset totius altitudinis, sed eodem autore semper adijciendum est rationis supplementum in symmetriarum membris: vt cum fuerint in altioribus locis, opera certam habeant magnitudinum rationem. quia inquit, quo altius oculi scandit acies, non facile persecat aeris crebritatem. delapsa itaque altitudinis spatio, & viribus extrita incertam modulorum renunciat sensibus quantitatem. Itaque cum tympanum collocandū esset in editiore loco, adiecta est ei quadragesima pars dumtaxat totius altitudinis eius: qua adiectione tympanum factum est nonę partis totius altitudinis. Fuere quibus hęc altitudo tympani visa est nimis pressa, sed illi viderint quibus argumentis. Nam si ex solo aspectu pulchritudo iudicanda sit, quot erunt hominū ingenia, tot erunt pulchritudinis species. Imo si ex aspectu artificum dūtaxat, ne id quidē probare possum, nisi ratione perspecta Artifex enim ab arte informādus est, nō ars ab artifice. Et sane late patet cāpus artis, intra cuius terminos possit ingenij sui vires explicare. Si qs vero ingenio suo fretus lōgius exspatiari velit, nō sequor, nec īuideo. Sed si quos alliciat, intra ratiōis septa reuocabo quātū potero. nos itidē vicissim qlibet admoneat, si digrediētes viderit.

Nunc, quod institui, eustyli tetrastyli rationem ineamus. Frons loci quāta est, diuidatur in 11. partes & semissem. ex his partibus vna sumatur, quæ sit modulus, cuius moduli

vnius erit craſſitudo columnarum, intercolũnia ſingula præter medianum duorum modulorũ & moduli quartæ partis, altitudo verò columnarum octo modulorum & dimidię partis. tum reliqua omnia quæ ſupra capitula columnarum collocantur, perficiantur vt ab autore præſcribitur: & totius operis altitudo eandem habebit rationem ad latitudinem, quæ eſt columnæ corinthiæ, ad doricam. Sic eo redit noſtra diſputatio, vnde dudum profecta eſt, & hoc tandem pluribus argumentis euincemus, quod initio propoſuimus, quadratam figuram dorico dumtaxat generi conuenire. Itaque ſumma cum ratione negaſſe Hermogenem dorico genere ædes ſacras fieri oportere, quod eius generis ſymmetrię totum opus reſpondere non poſſet. Sęcus verò in corinthio genere, vt iam in euſtylo tetraſtylo demõſtrauimus, & mox in cæteris oſtendemus. Sed prius huius euſtyli tetraſtyli vnum dumtaxat exemplum operis antiqui proferam, templum diuæ Mariæ Aegyptiacę, quaternis columnis in frõte & poſtico, ſeptenis in lateribus generis ionici & ſtriatis.

Sed tametſi huius formę ſymmetria exquiſitiſſima ſit, hoc tamen vitio laborat, quod ædes ſacrę non ita magnę fieri poſſunt. Itaque de octaſtylo videndum eſt: in cuius conſtructione Hermogenes artis, & ingenij vires explicauit. Cum enim animaduertiſſet, hoc genus ab humani corporis ſymmetria diſſidere, & tamen tẽplum eius amplitudinis extruere vellet, pſeudodipteri rationem excogitauit, quam Vitruuius his verbis explicat. Ex dipteri ſymmetria ſuſtulit interiores ordines columnarum 38, eaq; ratione ſumptus, operiſq; compendia fecit. Nihil argutius dici potuit, ſi locus recte legatur. His enim verbis templi ignographiam graphice deſcripſit, & totius operis commenſum. Sed nulla ratione efficí potuit, quin aut plures, aut pauciores columnæ demerentur. Itaque legendum puto 48. pro 38. Venit enim in mentem quiddã, cuius ſimile memini me videre in vno antiquo numiſmate: vt ſcilicet in frõte & poſtico octaſtyli quaternę colũnę prominerent, binę dextra & ſiniſtra introrſus retraheren-

herētur vnius intercolūnij ſpatio. quaternis vero quę promi nebant epiſtilia zophori, denticuli, coronę, cimæ, & cymatia imponerentur. Hac ratione tota pronai ratio in fronte ędis explicabatur, & quadraginta & octo columnæ dumtaxat detrahendæ fuiſſent. tot enim fuerunt dipteri interiores columnæ. Sed nec inelegans fuiſſet frontis aſpectus. Itaque procul dubio 48. pro 38. reponendum cenſeo. Nec enim aliter hic locus vnquam intelligi poterit, neque ex eo exiſtimari quæ fuerit quondam octaſtyli pſeudodipteri ratio; quæ tamen ex duobus Vitruuij locis dilucide perſpici poteſt. In vno pſeudodipteri frons, cum eiuſdem latere comparatur his verbis, Pſeudodipteros autem ſic collocatur, vt in fronte & poſtico ſint columnæ octonæ, in lateribus cum angularibus quindenæ. In eo vero loco quem emendare & explicare cœpi, ait Hermogenem ex dipteri ædis ſymmetria ſuſtuliſſe interiores ordines colūnarum 38. Ratio igitur ſic ineunda eſt. Octaſtylos ex octo ordinibus columnarum componitur, ſinguli vero ordines ex quindenis columnis: notentur igitur ſinguli ordines columnarum in fronte his literis a, b, c, d, e, f, g, h, Horum ordinum cum bini dipteron efficiant, quatuor erunt dipteri in fronte porticus. Primus a, b, ſecundus c, d, tertius e, f, quartus g, h. Iam ſi ex ſingulis dipteris interiores ordines columnarum tollantur, nempe b d, e g, niſi in fronte, & poſtico, vbi octonæ ſeruandæ ſunt, ſupererunt tantum hi quatuor ordines a, c, f, h, ſublatis quadraginta & octo columnis. Vide autoris argutiam, qui ex numero columnarum quæ demptæ fuerant, lectori conijciendum reliquit, qualis eſſet pſeudodipteri ratio, quot quæ ex columnis conſtaret, auſus vnius notulæ fidei tot rationes cōmittere. Sed ad Hermogenem redeo. Cum is inquam ampliorem ædem facere conſtituiſſet, quam tetraſtyli, aut exaſtyli rationes paterentur, octaſtylon deſignauit. Sed homini in ſymmetria exercitatiſſimo, & in architectura veterano rationes diſplicebant: cum ad perfectum illud exemplar figuræ virilis omnes ſuas cogitationes intenderet. Itaque huic vitio huiuſmodi remedium

dium excogitauit: vt saltem in mediana testudine pronai ea symmetria spectaretur, sublatis ex duobus interioribus dipteris, interioribus ordinibus columnarum: pteromata vero quæ dextra sinistraq; ad parietes laterum procurrebant, essent dimidię latitudinis, quantũ scilicet spatium relinquit columna sublata ex diptero. Atque etiam in hoc symmetriã hominis seruauit. nam & rationes duplę & triplæ in eodem subiecto reperiuntur. Si etenim homo ita componatur, vt stans in pedibus rectus, manus ad pectus retrahat, cubitis pansis, totũ inter extremos cubitos interuallũ dimidium est totius altitudinis. Brachijs vero demissis, latitudo ab extremis humeris cõprehensa subtripla est lõgitudinis. Si vero vno brachio panso altero demisso cõponatur, totius corporis longitudo ad latitudinem sesquialteram rationem habebit. Vide huius symmetriæ harmoniã ex rationibus ęqualitatis, dupla, tripla, & sesquialtera constare. Vnde summa ratione veteres cõstituerũt, vt ad normã corporis humani operũ cõmiensus extruerentur, vtque inde tanquã a fonte rationes omnes peterentur; quicquid vero dissideret haud secus vitaretur, quam in musicis dissonãtia. Horum Vitruuius nusquam meminit, quę tamen lectorem iuuabit meminisse. Hermogenes igitur tametsi diuersũ cõmensum seruarit in testudine octastyli, atque in pteromate, nusquã tamen a symmetria hominis discessit. Hermogenis inuentũ sequuti sũt multi, & qui hãc porticũ pãthei extruxit illud quãtũ potuit ęmulatus est. & assequut⁹ esset ꝓculdubio, nisi interioris porticus rationes obstitisset.

Inter tetrastylon, & octastylon fuit exastylos, cuius rationes etiam explicandæ sunt. Habuit exastylos eustylos senas columnas in fronte & postico, in eadem sisygia collocatas omnes, vt in porticu templi Faustinæ, & in ea quæ est in foro Traiani.

Pronai vero distributio hęc erat, vt mediana testudo ex duobus interioribus ordinibus cõstaret, sublatis interioribus. Itaque & in ędibus quę erãt in antis, crediderim eadẽ ratione sitas fuisse colũnas quę erant in frõte & postico. Vt scilicet qua

ternæ

ternę prominerent,binę retraherentur: vt ratio exterior tem pli cum interiore consentiret, quemadmodũ in octastylo ostendimus. Decastyli exempla nulla supersunt: sed eius ratio nes tam dilucide explicãtur a Vitruuio, vt nemo exemplum desideret. eius verba sunt hæc. Hypæthros vero decastylos est in pronao & postico. reliqua oĩa eadem habet quæ dipteros: sed interiore parte columnas in altitudine duplices remotas a parietibus ad circuitionem, vt porticus peristyliorũ. Medium autem sub diuo est sine tecto: aditusq; valuarum ex vtraque parte in pronao, & postico. In codice Philandri scriptum erat endecastylos, pro quo ille recte decastylos reposuit. Sed tamen in Vitruuio Florentiæ excuso anno 1513, antequam Philander Vitruuium attigisset, legitur decastylos. Sed non animaduertit eodem loco perperam legi altitudine, pro latitudine, quod erratum eiusmodi est, vt possit iudicium lectoris subuertere, cum alioqui locus si recte legatur nihil habeat difficultatis.

De Pantheo tantum me dicturum professus eram; sed ex porticu ad alia templorum genera delapsa est oratio, cum tamen singula ædium sacrarum genera persequi nec fuerit animus, nec si maxime esset, nunc per otium liceret. Ad pantheũ igitur redeo, vt tecti etiam rationem exponam. In nulla enim sacrarum ædium parte magis peccari video, nihil adeo ab architectis ignorari. Et tamen si queras quo autore id faciant, Vitruuium prędicant. Ita proculdubio responsurus erat Bramantes de ædicula illa, quam fecit in Ianiculo ad diui Petri in monte Aureo. Nec mirum, cum & ipse Philander nemine percunctante asserat Bramantem in tholo eius ædiculæ Vitruuij rationes esse sequutum. Ego vero opus laudo, ad antiquorum exemplum factum fuisse nego. imo vero diuersa prorsus ratione. Hoc eo dico ne opera recentiorum quantumuis speciosa, ementita antiquitatis specie studiosos fallant, vt & Philander ipse falsus fuit in eo Vitruuij loco, vbi de ædium rotundarũ tectis sic scribit. in medio, tecti ita ratio habeatur, vti quãta diametros totius operis erit futura, dimidia

dia altitudo fiat tholi,prçter florẽ.Flos autem tantam habeat magnitudinem quantam habuerit in summo columnæ capitulum, præter piramidem. quæ verba Philander exponens sic ait. Tholus est alias testudinis vmbilicus, idest veluti scutum in medio tecto,quo trabes omnes conueniunt.Et paulo post supra tholum inquit(mei laternam appellant, Itali tribunam) fiebat pyramis,supra pyramidem flos addebatur,quod quadantenus imitatus est Bramantes Romæ in ædicula periptera in monte aureo diuo Petro dicata. Cum hæc adnotasset cap.7.lib.4.longo postea interuallo cap.5.lib.7.stylum vertens sic ait. Tholos quorum mentio facta est.lib.4.cap.7. Sed hoc omiseramus,quod proprium est huius loci,intelligimus erectiores testudines templis addi solitas, quas Itali tribunas vocant. hç fiunt aut rectangulç. aut ad hemicycli ducuntur ambitum. Vide vt sibi parum constet Philander. Porro ne diutius hic immorer quid significare voluerit Vitruuius paucis accipe. Tectum hac ratione fiebat, vt quanta esset diametros toti⁹ operis,dimidia altitudo fieret tholi.His verbis autor interiorem partem tecti describit. Nam pars exterior alijs rationibus constabat, quas nusquam autor explicat. Inde error enatus est, nemine animaduertente hic de altera parte tecti verba fieri. Itaque qui iudicio maxime præstabant, cum viderent hanc tecti rationem extrinsecus non satis oculis probari, aliam excogitarunt. Nos vero obseruauimus tecta ædium rotundarum ita fuisse constituta a parte exteriore,vt prçter initium tholi,siue rotundationis tecti,murus continuus ad perpendiculum extrueretur,minimum vsque ad medium altitudinis tecti. In çdibus angularibus eadem erat ratio tecti, atque tympani; in rotundis altius aliquanto faciendum fuit. Cum enim cacumen longius recedat ab oculo quaquauersus spectetur, optices ratio postulat vt aliquid adijciatur altitudini. In cæteris ratio est eadem,atque in ædibus angularibus. In angularibus totius altitudinis templi ad altitudinem tympani eadem debet esse ratio,atque in corpore humano totius longitudinis a vertice ad imum

pedum,


pedum, ad eam qua est ab humeris ad verticem, vt videre licet in pantheo, & in eo templo quod Baccho sacrum fuisse dicitur. & item in alio quod est in via Prenestina, & alijs quorum exempla in lucem edere paramus. In quibus omnibus paries templi circa humeros crassior est. Inde vero conuexa templi testudo in vmbilicum contrahitur. Huiusmodi tectum tholus dicebatur. Sed tholi tantum interiorem partem describit Vitruuius, cuius ima pars vtcunque in partes diuideretur, si a punctis sectionum ducerentur striges vsque ad summum, quod est instar vmbilici, totum hemispherium diuisum erat in pyramides, quarum basis erat in imo tholi. Harum cacumina quia non poterant propter latitudinem vsque ad vmbilicum protendi, describebatur centro vmbilici circulus, in quem pyramides omnes coirent, qui flos inde dictus est, quod flos in eo cælaretur, vt & hodie artifices suo marte factitant. In reliquo spatio circulos parallelos striatos inæqualibus interuallis ducebant per tholi ambitum, quæ striges singulas pyramides tholi diuidebant in quadrangula altera parte angustiora, in quibus signa vel flores cælabantur. Et hac ratione in pantheo nostro decorata fuit pars interior tholi. Interdum vero pyramides obliquæ per ambitum templi ducebantur, ab imo vsque ad florem, in diuersas partes, quæ sese inuicem intersecantes aliam ornatus speciem præseferebant. Huius generis exempla adhuc extant in templo Solis & Lunæ, ad arcum Titi.

Sed & extrinsecus tectum tholi circulis, & pyramidibus distinguebatur, vt in eodem pantheo obseruari potest; & in recentiorum operibus, tametsi imprudenter id faciant. Quemadmodum vero in interiore parte tecti pyramides in florem coibant, itidem & quæ in exteriore parte erant in florem concurrebant, cuius magnitudo tanta erat, quantum capitulum columnæ, cuius scapus ab imo templi surgeret vsque ad cacumen. Hoc enim volunt illa verba Vitruuij. Flos autem tantam ha-

beat magnitudinem, quantam habuerit in summo columnæ capitulum, præter pyramidem. Ea igitur tribuna quæ tectis rotundis imponitur, si his proportionibus constet, nihil moror, quominus in locum floris substituatur, habet enim sane venustatem.

Hactenus de Panthei symmetria, ex veteris architecturæ fontibus rationibus deductis, disputauimus. simul ostendimus quid de antiqua eius forma mutatum fuerit. Nam vt nunc est, ita ex prima templi designatione extructum quondam fuisse, nemo harum rerum bonus arbiter his perlectis existimauerit. Quærendus est enim locus caryatidibus de quibus diximus. cum in nulla parte templi huius collocari potuerint, nisi in stylobatum frontibus. Vt inde satis appareat, ad eam saltem altitudinem templum congestitium esse. Et fertur adhuc ostium quoddam sub terra latere, ex aduerso eius quod nunc patet. cuius ostij vsus nullus erat, si templi altitudo eadem semper fuerit, atque nunc est. Altius vero ab stylobatum imo altitudinem patuisse, & gradus in eo fuisse dispositos, non ita ausim asserere: cum nec graduum vestigia supersint, nec eorum vllus veterum meminerit. Sed cum templi altitudinem quadantenus interceptam fuisse deprehendissem, quod supererat altitudinis ex coniectura supplendum fuit, vt implerentur numeri symmetriæ. Et nisi ita fuerit vt dixi, non satis emendatum fuit opus. Sunt tamen qui contendant, lithostratum hoc variatum ex marmore antiquum esse. Sed à prima templi ædificatione ita factum fuisse nego, & falsum esse ostendimus. De puteo etiam qui est in medio templi, leue est argumentum. Quocirca his non obstantibus in ea sum sententia, imam templi pli altitudinem interceptam fuisse, & esse nunc congestitiam.

Disputauimus etiam de octastylo Hermogenis, & ni fallor Vitruuij locū illustrauimus, sed figura prætermissa est, quæ templi ignographiam ostenderet. Quocirca ne quid ad eius loci explicationem desideretur, hic eam lectori exhibemus.





# ILLVSTRISSIMO
## ET REVERENDISSIMO D.
### FRANCISCO DE GIOIOSA S.R.E.
### CARDINALI AMPLISSIMO.





VM priſcorum monumenta Romę luſtro, nihil vſquam vidi, quod oculos præ ſculptura, & pictura tenuerit. In his antiquorum artem, & ſolertiam miratus ſum. Potuiſſe marmore, & in tabula, vultus, mores, animum exprimere. nec homines modo nobilitare; verum etiam Deos ipſos gentium, ſi pluſculum operæ in eis fingendis, vel pingendis inſumtum eſſet. Vt de Venere illa Praxitellis fertur, quam vt viderent multi Gnidum nauigarunt. et de Ioue illo Olympio Phidiæ arte nobili. vt Appellis, aliorumque innumera ſculpturæ, & picturæ opera ſileam, quorum memoriam Plinianæ chartæ ab interitu vindicarunt. vnde ego hæc in meos commentarios tranſtuli. non vt autori decoquerem; ſed vt quæ apud eum paulo obſcuriora videbantur explicarem, ſimul emendarem, quæ ſcripturæ vitio corrupta erant. Quæ cũ in duo parua volumina digeſsiſſem, viſum eſt geminis fratribus, patronis meis obſeruandiſsimis, duo germa-

na opera consecrare. tibi hoc de sculptura, ex celebrioribus huius artis operibus veluti conflatum opus. fratri Illustrissimo alterum de pictura, quod item illi tot nobilium operum antiquorũ instar esset. fausto omine æternæ amborum memoriæ, quæ sic statuis, & picturis, virtutis ergo decorari possit, sic in multa sæcula propagari.

*Amplitudini vestræ*

*Deditissimus ser.*

*Lud. Demontiosius.*

# LVDOVICI DEMONTIOSII COMMENTARII DE SCVLPTVRA, ET PICTVRA ANTIQVORVM.



## SCVLPTVRA,



ERVM similitudines exprimere, & quicquid orbis complectitur imitari, ars adeo nobilis quondam fuit, vt ea quę digna esset posteris tradere nobilitare posset. quæ fictorum, & pictorũ propria laus semper fuit, dubia adhuc inter eos palma. Fictorũ vero duo sunt genera. Vnum eorum qui signa faciũt, quæ quaquauersus spectentur naturæ opus æmulantur. Alterum est eorum, qui quantum cuiusque corporis vno aspectu cerni potest, id tanquam in tabula sibi imitandum proponunt. Sed ne hi quidem in eodem genere versantur: aut enim opus eminet è tabula, aut intus refugit: de quibus singillatim dicemus. Sed materia etiã artifices distinguit. alij enim ex molli materia signa faciunt, alij ex fusili, alij ex dura. & fuere quondam in singulis generibus clari artifices. Sed omnium antiquissimi fuerunt plastæ, qui mollem, & ductilem materiam tractarunt: à rudibus initijs progressi. scribit enim Plinius Dibutiadem Sicyonium figulum primum eam artem inuenisse, Corinthi filiæ opera, quæ capta amore iuuenis, illo abeunte peregre vmbram ex facie eius ad lucernam in pariete lineis circumscripsit, quibus pater eius impressa argilla typum fecit, & cum cæteris fictilibus induratum igni proposuit: eumque seruatum in nymphæo, donec Corinthum Mummius euerteret. Addit tamen, esse qui Samo primos

omnium plasticen inuenisse Rethum, & Theodorum tradant, multo ante Batiadas Corintho pulsos. Demaratum vero ex eadem vrbe profugum, qui in Hetruria Tarquinium Priscum regem Populi Romani genuit comitatos fictores Euchira, & Eugrammum: ab ijs Italiæ traditam Pasticen. Sed cur pigeat reliqua eius loci ad verbum exscribere? cum eius diligentiæ tota huius antiquitatis cognitio accepto ferenda sit, nec quicquam elegantius, aut magis distinctè dici possit. Pergens igitur sic ait. Dubitadis inuentum est rubricam addere, aut ex rubrica cretam fingere. Primusque personas tegularum extremis imbricibus imposuit, quæ inter initia, protypa vocauit. Postea idem ectypa fecit. Hinc & fastigia templorum orta, propter hunc plastæ appellari. Hominis autem imaginem gypso è facie ipsa primus omnium expressit, ceraq; in eam formam gypsi infusa emendare instituit Lysistratus Sicyonius, frater Lysippi, de quo diximus. Hic & similitudinem reddere instituit. ante eum quàm pulcherrimas facere studebant. Idem & de signis effigiem, exprimere inuenit. Creuitq; res in tantum, vt nulla signa statuæve sine argilla fierent. Quo apparet antiquiorem hanc fuisse scientiam, quàm fundendi æris. Plastæ laudatissimi fuere Damophilus, & Gorgasus. ijdemque pictores, qui Cereris ædem Romæ ad circum maximum vtroque genere artis suæ excoluerunt, versibus inscriptis græce, quibus significarunt à dextra, opera Damophili esse, à parte læua Gorgasi. Ante hanc ædem Thuscanica omnia in ædibus fuisse, autor est M. Varro. Ex hac cum reficeretur, crustas parietum excisas tabulis marginatis inclusas esse. Item signa ex fastigijs dispersa. Fecit & Calchosthenes opera cruda Athenis, qui locus ab officina eius Ceramicos appellatur. M. Varro tradit sibi cognitum Romæ Posim nomine, à quo factas Romæ vuas, item pisces, ita vt non sit aspectu discernere à veris. Idem magnificat Archesilaum L. Luculli familiarem, cuius proplasmata pluris venire solita artificibus ipsis, quàm aliorum opera. Ab

hoc

hoc factam Venerem genitricem in foro Cæsaris, & priusquam absolueretur festinatione dedicandi positam. Deinde ei à Lucullo HS. LX. signum felicitatis locatum, cui mors vtriusque inuiderit. Octauio equiti Romano cratera facere volenti exemplar e gypso factum talento. Laudat & Pasitelem, qui plasticen matrem statuariæ, scalpturæque, & cælaturæ esse dixit. Et cum esset in omnibus his summus, nihil vnquam fecit antequam finxit. Præterea elaboratam hanc artem Italiæ, & maxime Hetruriæ. Turianumque à Fregellis accitum, cui locaret Tarquinius Priscus effigiem Iouis in Capitolio dicandam. Fictilem fuisse, & ideo miniari solitum. Fictiles in fastigio templi eius quadrigas, de quibus sæpe diximus. Ab hoc eodem factum Herculem, qui hodieq; materiæ nomen in vrbe retinet. Hæ enim tum effigies deum erant laudatissimæ. Hæc sunt verba Plinij: in quibus nescio an lector mendum animaduerterit. Ego sane locum suspectum habeo, vbi ita legitur. Primusque personas tegularum extremis imbricibus imposuit, quæ inter initia protypa vocauit. Postea idem ectypa fecit. Hinc & fastigia templorum orta, propter hunc plastæ appellati. Vtrumque hoc falsum est, inde fastigia templorum orta, & a Dibutiade plastas appellatos. Et falso hoc autori ascribitur. aliud enim significare voluit. Nempe, Dibutiadem primum fastigijs templorum fictilia signa imposuisse. Extremæ enim imbrices fastigio incumbunt, à quibus per colliquias stillicidiorum aqua in compluuium deijcitur. Qua igitur imbrices fastigio incumbebant, ibi signa collocabat Dibutiades, & qui postea sequuti sunt. Plin. lib. xxxvj. cap. v. Pantheum decorauit Diogenes Atheniensis, & Cariatides in columnis templi eius probantur inter pauca operum, sicut in fastigio posita signa, sed propter altitudinē loci minus celebrata. Inde igitur quod plastes primus fastigia ornasset, obtinuit vt fastigia ornata figuris plasta dicerentur. Locus igitur paucis mutatis sic legendus est. Primusq; personas tegularum extremis imbricibus impo-

fuit, quæ inter initia protypa vocauit, postea idem ectypa fecit. Hinc fastigia templorum ornata, propter hunc plasta appellari. Sic enim lectio perspicua erit. vnde hoc discemus, quod alibi nusquam reperitur, fastigia signis ornata plasta vocari. cuiusmodi est illud fastigium ædificij recentioris in Capitolio. quod ornamenti genus beneficio Plinij, nostra opera restituti, post hac exprimi poterit vno verbo. Hoc volebam lector nescius ne esset. Sed quia imbrices, & imbricata sunt coniugata, rogat Vitruuius vt se aspiciam. Vitij enim aliquid esse vbi de imbricato opere loquitur lib. 2. cap. 8. Et sane toto eo capite perlecto vnius tantum literulæ mutatione locum laborare animaduerti: male enim incertum, pro insertum legitur in duobus locis. Nolim lectorem pigeat integrum caput perlegere, quum breue admodum sit. Structurarum inquit, genera sunt hæc, reticulatum, quo nunc omnes vtuntur, & antiquum, quod insertum dicitur. ex his venustius est reticulatum, sed ad rimas faciendas ideo paratum, quod in omnes partes dissoluta habeat cubilia, & coagmenta. Inserta vero cementa alia super alia sedentia, interseque imbricata, non speciosam, sed firmiorem quam reticulata præstant speciem. Hactenus locus satis indicat structuræ genus insertum dici, quum cementa alia in alia inseruntur, interse velut imbricata. Cementa enim sic posita efficiunt imbricis speciem, in quam pars quædam tertij cementi inseritur, vt in lateritia structura fieri videmus. Inde structuræ genus insertum dicebatur. Sed vnde digressi sumus, ad plasticem redeamus, quam non immerito Pasiteles matrem statuariæ, sculpturæ, & cælaturæ esse dixit. quippe quæ ab ea tanquam à surculo prodeant, vt idem Plinius alio loco docet de Zenodoro illo scribens, qui Aruernis immane illud Mercurij simulachrum immenso pretio per annos decem finxit pedum CCCC; nisi potius quadraginta pro quadringentorum legimus, quum error ex vocum similitu-

dine

dine facile obrepere potuerit. Lector enim secum putet molis immensam altitudinem. Imo proculdubio ita legendum est vt dico. ex verbis enim Plinij apparet simulachrum illud artis experimentum dumtaxat fuisse, & tanquam meditationem maioris cuiusdam operis. ait enim, quum artem satis ibi approbauisset, Romam accitum à Nerone destinatum illius principis simulachrum colosseum fecisse C X. pedum longitudine. Quis enim credat, cum iam Aruernis quadringentorum pedum simulachrum fecisset, de hoc altero longe minore cogitasse postea Neronem. At quem Principem? tumidum, vanum, prodigum. Sed & colossus ille Rhodiorum septuaginta cubitorum tantum fuit, qui terræmotu prostratus, iacens etiam miraculo fuit. Profecto non est librarijs pronior in errorem lapsus, quam vbi occurrunt numeri, qui tum notarum, tum etiam vocum similitudine sępe fallunt. Eiusmodi multa scripturæ vitia detersimus in ijs quæ edituri sumus de notis numerorum. Quod igitur scribit Plinius omnem amplitudinem statuarum eius generis vicisse Zenodorum, de simulacro Neronis intelligēdum est, quod colossum illum Rhodiorum superabat, quum fuerit Neronianus longitudinis ped. CX; Rhodius vero lxx. cubitorum, qui CV. pedes tantum efficiunt. Omnes igitur statuas molis magnitudine superauit destinatum illud Neronis simulachrum, quod Plinius se vidisse testatur, simul admiratum non modo ex argilla similitudinem insignem, verùm & ex paruis admodum surculis, quod primum operis instar fuit. Potuit igitur sola plastice spectantium oculos tenere, & in admirationē adducere. Nec mirum, colossorum enim audacia primum in argilla spectata fuit, & ars in ea tota perspecta, vt nihil amplius, præter ęris fusionem, & emendationem accedere posset. Imo nec marmori manus audeat admouere artifex, nisi prius, quod totius operis instar sit, ex argilla proplasmata formauerit: interdum plura, vt quod in singulis maxime probauerit, id sibi imitādum proponat. Atque ita ex ijs surculis surgit opus. Recte igitur Pasiteles plasticen

matrem

matrem ſtatuariæ, & ſculpturæ eſſe dixit. Quocirca cum in his omnibus ſummus eſſet, nihil vnquam fecit antequam finxiſſet. & multi alij egregij pictores idipſum factitarunt fælici admodum ſucceſſu. In toreumate enim videre licet, quemadmodum extremæ lineæ figurarum deſinant, quid lateat, quid cerni poſſit, quomodo vmbræ ſint à lumine diuidendæ, quæ partes corporis recedant, quæ emineant. quod denique natura fictori eſt, fictor eſt pictori. Nec piguit nobiles artifices terram manibus tractare. ſi quidem olim fictiles Deorum imagines fuerunt laudatiſſimæ. Fuit Iouis in Capitolio à Tarquinio dicata, fictiles in faſtigio templi quadrigæ, fictilis Hercules qui à materia nomen in vrbe ſortitus eſt. Quin & faſtigia templorum in vrbe fuere crebra, mira cælatura, & arte. Cæterum Dibutiades ille, qui primus hominis imaginem gypſo è facie ipſa expreſſit, ceraque in eam formam infuſa emendare inſtituit, artem aperuiſſe videtur, hoc enim erat huic rei caput. Sed nec tantum excipiendis formis vtile fuit gypſum; quinetiam exſcalpendis cælaturis materia admodum oportuna ſemper viſa eſt, ſed fragilis. Vſus eius in Gallia frequens eſt, & quondam fuiſſe nomen ipſum indicat, *plaſtre* enim proculdubio à plaſtice dicitur. Plinius autor eſt, antiquos ſtatuas bitumine pinxiſſe, & deorum dumtaxat ſimulachra primum fieri ſolita. A dijs inquit, ad homines ſtatuarum honos translatus eſt, ſi qua illuſtri cauſa perpetuitatem merentur. Primò ſacrorum certaminum victoria, maximeq; Olympiæ, vbi omnium qui viciſſent ſtatuas dicari mos erat: eorum verò qui ter ibi ſuperauiſſent ex membris ipſorum ſimilitudine expreſſa, quas iconicas vocabant. In Italia ſtatuarum vſus antiquiſſimus eſt. argumento eſt Hercules ab Euandro ſacratus, vt fertur, in foro Boario, triumphalis vocatus. Regum etiam ſtatuæ in Capitolio fuerunt, vt Tarquinij Priſci. Sibyllæ etiam tres iuxta roſtra fuerunt. Eiuſdem antiquitatis erat Actij Nauij. Parcior primum earum vſus, quum nec Bruto, qui reges expulerat poſita fuerit.

rit. Postea vero cuiusque arbitratu. Ab exteris quoque poni cœptæ, ijs in quorum clientelam recepti essent, vel qui eos laborantes subleuassent. Denique etiam hostium positæ statuæ, vt Annibalis tres in Vrbe, omni discrimine sublato. Sed quæ in foro erant, sublatæ fuerunt omnes à P. Cornelio Scipione, & M. Popilio Censoribus, præter eas quæ Senatus, aut populi sententia statutæ essent. Pedestres Romæ in autoritate fuere longo tempore. tametsi Equestrium origo Romæ antiqua est. quo etiam honore fœminæ decoratæ fuerunt. Cloeliæ enim statua equestris erat. Huic primum, & Horatio Cocliti publice dicatas existimat Plinius. Non eiusdem antiquitatis fuerunt bigatæ, eorum qui prætura functi curru vecti essent per circum, & quadrigatæ eorum qui triumpassent. quod etiam ab Imperatoribus deinde vsurpatum fuit. quo exemplo Titus excalptus est in arcu triumphali Romæ, & M. Aurelius in tabula marmorea, quæ est in Capitolio. Augustus solus seiugibus, sicut & elephantis spectari voluit. Græci nihil velabant, Romani togam addebant, qua etiam honoris causa statua Cloeliæ virtutis ergo ornata est. Fuit & Q. Marci Tremuli equestris togata: Romuli siue tunica, & ea quæ Camillo in rostris ante ædem Castorum dicata fuit. Fuere, & nudæ tenentes hastam; ab epheborum gymnasticis exemplaribus. Militare erat thoracas addere. loricata Cæsari dictatori in foro dicata est. Fuere etiam, sed inferioris antiquitatis, & lupercorum habitu, & quædam penulis indutæ. Tripedaneæ verò primum statuæ ponebantur. hæc scilicet mensura honorata tunc erat: deinde maiores factæ sunt. Demum eo euecta est artificum audacia, vt colosseas imagines instar montium facerent, immenso prætio. Primum quidem dijs tantum. eiusmodi fuit in Capitolio Apollo XXX. cubitorum C L. talentis factus. Fuit in campo Martio Iupiter à Claudio Cæsare dicatus. Fuit & Tarenti XL. cubitorum, opus Lysippi. Quos omnes superauit magnitu-

dine colossus ille Rhodiorum Soli dicatus, quem Chares lydius xij. annis effecit CCC. talentis: cuius altitudo fuit lxx. cubitorum. Fuere centum alij minores in eadem vrbe. Præter hos Deorum quinque, quos Briaxis fecit. Fecit & Zenodorus in Galliæ ciuitate Aruernis Mercurium quadragenum pedum, sic enim legendum esse docuimus. At tametsi huiusmodi statuæ propriæ essent Deorum, eo discrimine sublato principes ijsdem honorari voluerunt. quinimo, vt iam ostendimus, statuas omnes quot olim fuisse traduntur, magnitudine superauit ingens illud simulacrum Neronis, quod insaniæ modum imposuit, non arti, quæ etiam vltra has metas progressura erat, si principis itidem vesania potuisset. Alij contra exilibus operibus laudem quæsierunt, vt Myrmecides cuius quadrigam cum agitatore cooperuit alis musca. & Callicrates cuius formicarum pedes, atque alia membra peruidere non erat. Theodorus etiam cum se ex ære fudisset, præter similitudinem mirabilem, hoc etiam in eo opere commendabatur, quod dextra limam teneret, læua tribus digitis quadrigulam tantæ paruitatis, vt totam eam, currumq;, & aurigam integeret alis simul facta musca. Pomponius Gauricus in libro de sculptura annotauit, statuas quæ intra humani habitus mensuram fierent, signa vocari: cubitales autē, aut cubito minores sigilla; pariles, quum eius qui exprimitur staturam referunt: magnas verò quæ intra sesqui alteram rationem staturæ erant: maximas quæ parilium triplæ, aut eo maiores essent. Addit Philander, pariles dari solitas bene meritis, ac sapientibus viris, magnas verò regibus, & imperatoribus, maximas autem dijs, & heroibus; quamuis eas reges, & imperatores vsurparint. Sed viderit Gauricus an huic obseruationi fidem adstruere possit, quum aperte dicat Plinius primum tripedaneas statuas in foro positas benemeritis, quod ea mensura honorata tūc esset, quum & eius mensuræ quędam adhuc in vrbe spectentur deorum signa antiqua, ipsius etiam Iouis in palatio Illustrissimi Cardinalis Medici, & celebriora signa deorum quæ hic nobis

videre

videre contigit. Excedunt quidem communem hominum menſuram, ita ſuadente ratione optices, vt in loco ſuperiore collocata parilia videri poſſint. cũ aliquid ſemper diſtantia intercipiat. Sed Antinoi qui eſt in Vaticano, eadem ſtatura eſt atque Apollinis. Statuę autem Alexandri bucephalum domantis quę ſunt in monte Quirinali, maiores ſunt omnibus ſignis deorum gentilium, quę in Vrbe extant. Dearum etiam ſtatuę ferè omnes quas hic vidi, non longe diſtant à communi mulierum menſura. Contra Sabinę quę ſunt in eodem palatio, duplo, aut eo amplius hanc menſuram exceedunt: vt & Niobe quę ibidem ſpectatur: Itaque neſcio vnde ea venerint in mẽtem Gaurico. Hoc vero non prętereundum, quod Philander annotauit. ſtatuas quę dijs fiunt vocari εἴδωλα, quę heroibus ξόανα, quę regibus ἀνδρίαντας, quę ſapientibus εἴκελα, quæ benemeritis viris βρέτεα. Alia eſt differentia ſtatuarum, quam noſſe operepretium eſt. Aut enim naturę varietatem perſequitur artifex, aut quod in natura perfectum eſt: Ille rem imitatur vt eſt; hic difficilius quiddam perſequitur. Quanquam enim perfecti vna tantum eſt ſpecies, in ea aſſequenda pręcipua laus eſt. Fugit enim imperitum vulgus, nec oculis veſtigari poteſt, niſi ratione præeunte. mille enim ſpecies obijcit perſequenti, omnes indiſcretę fere ſimilitudinis, quarum fucus non niſi a ratione deprehenditur. hęc formas omnes ad ſymmetrię normam exigit, vt cuiuſque fuerint ſexus, ętas, dignitas, mores. In alijs forma quadrata probatur, in alijs gracilis. in quibuſdam toroſa, in alijs tenera. in quibuſdam obeſa, in alijs exhauſta. Nec omnes eadem poſitura decet, non idem vultus. vnde infinita propemodum varietas formarum prodit. Ad quas diſcernendas opus eſt artifice exercitatiſſimo, arte inſtructo, & iudicio prętanti. Formę igitur à natura pręſcriptæ fuerunt fictori, materia non item. Eius enim indiferens ſemper fuit electio, cum ex qualibet tractabili materia nobilia opera facta fuerint. vt ex argilla, ex metallo, ex ebore, ex lapide, ex ligno. Ex metallis, ęs maxime oportunum viſum eſt, & quia

parabile, & quod facile tractari possit. Ad statuatum vsum temperabatur tertia parte æris collectanei, additis plumbi argentarij pondo duodenis ac selibra in centenas æris. ita temperatum regulare dicebatur. Fuit & alia temperatura tenerior, formalis dicta, iniecta nigri plumbi decima portione, & argenti vicesima. Temperabatur etiam ternis, aut quaternis libris plumbi argentarij. idque in olla, vnde ollaria temperatura. Aegineticum à temperatura nomen, & laudem inuenit, quanquam ibi non nasceretur. maximè verò Myronis operibus nobilitatum, quod eo vteretur, vt deliaco Polychetus. Color etiam metalli hac temperatura mutabatur in eum qui Græcanicus dictus est. Sed & præclarissimæ Vrbis excidio maxime nobilitatum est æs quod capta, & incensa Corintho casus miscuit, tâta circa id priscorum affectatione, teste Plinio, vt plerique elegantiores ementito nomine pro Corinthijs statuas ostentarent artificum qui ante captam Corinthum decessissent. Eius quatuor genera discernit. Candidum ad argēti colorem proxime accedens. Alterū auri specie nobile. Tertium in quo nullum præualeret, æquali omnium tēperamento. Et quartum iocinoris colorem referens, vilius Corinthio, sed Deliaco, & Aegynetico prætiosius. Sed nec argento, & auro puro pepercerunt artifices. Fuit enim Romæ argentea Augusti statua, cum & longo ante tēpore in triumpho Pompeij Pharnacis quoque argentea translata fuisset. Et item alia Mithridatis Eupatoris. Signa item aurea Mineruæ, Martis, & Apollinis fuerunt. Auream statuam nulla inanitate, qualis nec ex ære vlla antea visa rebus Parthicis diripuit Antonius. Auream sibi Gorgias Leontinus primus omnium Delphis in templo posuit. Sed tamen argento & auro nulli artifices inclaruerunt, ære & marmore multi. Marmoris varias species enumerat Plini⁹, quarū descriptiones lector ex eo petere poterit.

De artis huius origine idem Plinius autor est cum Olympiadum origine cœpisse. Primos autem omnium inclaruisse Dipoenum, & Scyllum Cretenses, olympiade circiter L, ambos Apollinis oraculo nobilitatos. Cum enim ijs Sicyonij

deorum quorundam ſimulacra locauiſſent, iniuria quæſti infecto opere abierunt. Sed cum Protinus Sicyonios fames & ſterilitas inuaſiſſent, conſulentibus oraculum ecquis finis malorum futurus eſſet Apollo reſpondit, ſi Dipoenus, & Scyllis deorum ſimulacra perfeciſſent. Poſt hos Bupalus & Anthermus Chij Olimpiade lx. claruerunt, adeo ſibi ſuæ artis conſcij, vt ijs quæ in Delo fecere ſubijcerent non vitibus tantum cenſeri Chium, ſed & filiorum Anthermi operibus. Romæ etiam temporibus Auguſti ſigna eorum celebrabantur. Et tamen ars in dies excolebatur. vt demum eam Phidias Olymp. lxxxiij. aperuiſſe, ac demonſtraſſe dicatur, Polycletus vero conſumaſſe, ac erudijſſe Olymp. lxxxvij. Idque vel in eo maxime apparuiſſe, quem artifices canonem vocabant, lineamenta artis ab eo petentes velut, à lege quadam. Hic etiam primus excogitauit vt vno crure ſigna inſiſterent. Sed & hic corpora fecit quadrata, & omnia pene eodē exemplo. Sequutus deinde Myron, de quo Plinius his verbis, Primus hic multiplicaſſe varietatem videtur, numeroſior in arte quàm Polycletus & Symmetria diligētior: & ipſe tamen corporum tenus curioſus animi ſenſus non expreſſit, capillumq; & pubem non emendatius fecit quam rudis antiquitas. Lyſippi propriæ videntur argutiæ corporum in minimis quoque cuſtoditæ. Hæc Plinij verba oſtendunt artem ad ſummum nondum perueniſſe. Itaque & Myronem à Pythagora Rhegino ſuperatū fuiſſe dicit, & à Leontio. Mirum cum iam artē Phidias aperuiſſet, & demonſtraſſet, Polycletus cōſummaſſet, Myron & ipſe plura contuliſſet, nondum tamen Symmetriæ partes impleri potuiſſe, non ſenſus animi exprimi, nec capillū ſatis accurate. Primus enim poſt eos Leontius capillū diligētius expreſſit, & neruos, & venas. Lyſipp⁹ vero, pręterquā quod capillū diligentius imitatus eſt, plurimū artem & ipſe prouexit, capita minora faciendo quam antea ſolerent, & corpora graciliora, ſicciora q;, per quæ proceritas ſignorū maior videretur. Euphranor primus dignitatē heroū expreſſiſſe videtur, & vſurpaſſe Symmetriā, qui floruit Olymp. ciiij. cum

Praxitele. Hęc si vt propria recentiores isti vindicent, mirũ in quo antiqui tãtopere excellere potuerint. In quibus est Phidias nulli veterũ postponẽdus. Si enim hęc omnia ignorauerit, ne inter mediocres quidem artifices censeri debuit, nec eius opera probabilia videri. Sed vt sua cuique laus tribuatur, æquo hic lectore opus est. Enimuero cum docere vellet Plinius artem ad summum peruenisse, nec vllum tamen artificem reperire posset qui omnes numeros impleuisset, recensset in quo singuli maxime claruerint. Hic Symmetrię studiosior, ille varietate fœcundior, animi sensus alius expressit, alius in capillis exprimendis superauit, cum in singulis his alij paulo negligentiores, operis tamen vniuersitate præstarent. Et sane infœlicis ingenij est in omnibus vinci. contra in omnibus excellere plusquam humani. Perfectæ igitur & cõsummatę artis exempla sunt hęc, non artificum inuicem iusta cõparatio, vt sciat lector quid in singulis æmulari debeat, non quid in singulis damnare. Nec tamen in omnibus adeo insudabit vt nihil vnquam satis absolutum putet, nunquam diligentię finem faciens, vt Callimachus ille semper calumniator sui, nescius modum adhibere diligẽtię, ob id Cacizotechnos appellatus. Cuius operibus alioqui laudandis, gratiam omnẽ diligẽtia nimia abstulit. Quo vitio etiam Sillanion laborauit, alioqui & ipse clarus artifex, sed suorum operum iniquus iudex. qui crebro etiam perfecta signa frangebat, sibi ipsi non satisfaciens. Quod etiam vitium Appelles modeste in Protogene notauit. in cęteris omnia sibi cum illo paria esse dicens, aut illi meliora. Sed me iam lõgius digressum Apollonius, & Tauriscus reuocant, insignes artifices ambo, nec raptim transcurrendi. quorum adhuc extat; imo viuit opus nobilissimũ in palatio Illustrissimi Cardinalis Farnesij, vt vel ex Plinij descriptione facile manus agnoscantur. Zetus & Amphion, & taurus, vinculumq; ex eodem lapide, à Rhodo aduecta, artis & naturæ certamen. Eiusdẽ etiam Apollonij extat in Vaticano corpus, capite, brachijs, & tibijs truncatum, ex marmore. quod fragmentum nulli cedit operum antiquorum

quæ

quæ extant hodie Romę. Basi nomen autoris inscriptum est. Lacoontem autem illum quis saltem fama non nouit? quod etiam dum in Vaticano artis miraculum ostentatur, spectantibus horrorem incutiens, artis statuariæ cum poetica certamen, & vtriusque cum ipsa natura, palma dubia. Quantum enim Virgilius carmine, tantum isti marmore contendunt. Stupendum opus. ex vno lapide parens, & liberi, horrendi draconum nexus, patris angustię, liberorum gemitus expressi. opus inquit Plinius, omnibus & picturæ, & statuariæ artis pręferendum. quod de consilij sententia fecerunt summi artifices Agesander, & Polidorus, & Athenodorus Rhodij. Sunt etiã in eodem septo alia probatissima signa. Apollo ille arcũ tenẽs emissa sagitta, & Antinous eximię pulchritudinis.

Primores illos artifices alij sed obscuriores ęmulati sunt. Phidiam Alcamenes, Critias, Nestocles, Hegeas, Scopam Briaxis, Timotheus, Leochares, qui pariter cum illo mausoleum cęlarunt, vt manus etiam certarẽt. Telephanes, alioqui obscurus, ęquabatur Polycleto, Myroni, atque Pithagoræ, artificum suffragijs. Cephisodorus Praxitelis filius, rei, & artis eius hæres. Comparabantur etiam artifices operũ indiscretis manibus, vt in templo Apollinis Sosiani Nioben cum liberis morientem Scopas, an Praxiteles fecisset. & Ianum patrem in suo templo dicatum ab Augusto. Par hesitatio fuit de Cupidine fulmen tenente. Praxitelis Venus illa Gnidia in primis eius operibus commendabatur. Fuit, & Scopæ Venus in templo Bruti Callaici Gnidiæ illi prælata. Certauere etiã Phidias & Praxiteles. cuius certaminis præclara extant monimenta Romæ in monte Quirinali. duæ statuæ Alexandri Bucephalum domantis, alterum opus Phidiæ, alterum Praxitelis. Non prętereundus est Diogenes Atheniensis qui Pantheum Agrippæ egregijs operibus decorauit, inde vicissim & ipse non parum ornamẽti consequutus. Eius inter cætera probabantur Cariatides in columnis templi eius, & signa in fastigio posita, de quibus alias dicemus.

CAELA-

## CAELATVRA.



Aelatura altera ſculpturæ ſpecies ſequitur, medium quiddam inter picturam, & ſtatuariam, vt Plinius adnotaſſe videtur, cum in vaſis argenteis ſuorum temporum luxum arguens, Nullum inquit genus officinæ diu probando nunc Furiana, nunc Clodiana, nunc Gratiana. Etenim tabernas menſis adoptauimus, nunc Anaglypta, in aſperitatemq; exciſa circa linearum picturas quærimus. Recte Plinius. nam Anaglypta, & in aſperitatem exciſa pictura lineari primum adumbrantur, vt quicquid picturę terminis includitur intumeſcat. Illud igitur pictoris, hoc fictoris eſt. Cælaturam pictura lineis circunſcribit, has inter, corporis dimidiatum ambitum imitatur cælatura, ab eminentioribus primum incipiendo, quæ longius à ſuperficie tabulæ recedunt. Ab ijs ad depreſſiora, & minus extãtia manus accliuis delabitur, ad planã vſque tabulæ ſuperficiẽ, molliter in extremas lineas deſinente ſumma operis: vt quod fugit potius exiſtimare, quam deſiderare cõtingat. Sed argento & auro cælando compendiaria artis ratio excogitata eſt. In laminas ducto primũ metallo, ſtyli cuſpide paulum retuſa ex altera parte tabulę forma procuditur, vt in auerſam partẽ ſurgat opus. diuerſa prorſus ratione ab ea quam modo explicauimus. hic enim à depreſſioribus ad eminentiora paulatim ſurgit artificis manus; in illa contra ab eminẽtioribus ad depreſſiora. Vtroque genere veteres argento cęlaſſe cõperio. Anaglypta primum in aſperitatem excidendo, vt ex Plinio oſtendimus. idque ad vaſa & pocula, & ſi qua fuerunt eiuſmodi. Vel laminas in operimenti vſum tenuando cruſtarum inſtar. vnde & Teucro de quo idẽ Plinius xij. cap. lib. xxxiij. meminit, cruſtarij nomen inditum eſt ab artificio. Hoc operis genere milites vaginas, & baltheos ornabant, cum ebur faſtiri cœptum eſſet. Sed & huius ornamenti duplex genus fuit:

Delia-

Deliacum ex tenuibus cruſtis altera parte cauis,altera turgentibus. Punicum quod ſolido opere fiebat,nulla ſubtus inanitate. Lectos vero mulierum inquit autor, iampridem totos operiri argento, & triclinia quædam, quibus argentum addidiſſe primus traditur Caruilius Pollio eques Romanus; nõ vt operiret,aut deliaca ſpecie faceret, ſed punica. Cæterum cum auro,& argento nullo diſcrimine veteres cælauerint,miratur Plinius auro inclaruiſſe neminem, argento plurimos. Laudatus eſt in primis Mentor.Hunc proxime æmulati ſunt Acragas, Boethus, & Mys. Proximi ab his fuere Calamis, & Antipater: quique Satyrum in phiala grauatum ſomno collocauiſſe,verius quam cęlauiſſe dictus eſt Sttatonicus. Laudatur etiam Cyſicenus Tauriſcus. Item Ariſton, & Eunicus Mitylenei, Hecathæus, & Praxiteles, alius ab illo qui inter ſculptores.Poſidonius Ephæſius,Lædus Stratiates, Zopyrus, qui Areopagitas & iudicium Oreſtis fecit pondo xij. æſtimatum,& Pithias cuius binæ vnciæ xx.venierunt.& Teucer cruſtarius,qui etiam famam habuit.Præter hos Ariſton,idem ſtatuarius. Leſlocles, Prodorus, Pithodicus, Polignotus pictores. Marmore Scopas, Briaxis, Timotheus, & Leochares cælarunt. Diogenis eſſe ſuſpicor quæ ſunt in porticu Panthei. Ligno diuinus ille Alcimedon claruit, famam æternam Virgilij verſibus conſequutus. Sed & ſtatuarij omnes cælarunt. Nam Phidias ſcuto Mineruæ quam fecit Athenis vel maxime laudatur. in quo referente Plinio in eodem loco, prælium Amazonum cælauit in tumeſcente ambitu parmæ. eiuſdem concaua parte deorum, & gigantum dimicationem. In ſoleis vero lapitharum, & centaurorum. In baſi geneſim deorũ.In numiſmatibus etiã priſcorũ manus veneramur,ætates etiã artificũ diſcernimus, artis progreſsũ, & interitũ notam⁹. Nã vt de Romanis loquar,vetera illa cõſulũ numiſmata inter artis initia quàm rudẽ admodũ ſpeciẽ pręſeferũt. Ab Auguſto vero integro ſæculo ars claruit,Rurſum ignorãtiæ caligine demerſa,gratiã omnẽ amiſit. Quamquã Plinius lõge ante ſua tẽpora cęlaturã exoleuiſſe ſcribat.

cum

cum laudatos illos artifices recenſens, Teucrum cruſtarium vltimum faciat. Vt iam ſuis temporibus ſcribat, artem ſola vetuſtate cenſeri ſolitam, vſque adeo attritis cęlaturis, vt figura diſcerni non poſſet, operis tantum autoritas conſtaret.


## ¶ De Gemmarum Scalptura.

GEMMIS imagines cęlantur, aut ſcalpuntur. Cælatæ dicuntur, ſi e plana ſuperficie opus emineat. ſcalptæ cõtra ſi opus refugiat. cuius tamen forma excipi poſſit cera, vel alia facili materia. Vtroque genere veteres inclaruiſſe, vel quæ adhuc ſuperſunt eorum opera teſtantur. Ex gemmis, achates maxime ſemper oportuna viſa eſt cælaturæ, propter colorum varietatem, qui arte naturam informante incurrunt plerisq; locis, tam apoſite quo trahit eos ingeniũ artificis, vt aſcititi potius quã innati videantur. natura etiam ipſa in his colorum varietatibus diſſeminandis, ita interdum ludente, vt picturam viciſſim æmulari videatur. vt in gemma illa Pyrrhi, in qua nouem muſæ, & Apollo citharam tenens ſpectabantur, non arte, ſed ſponte ita diſcurrentibus maculis, vt muſis quoque ſingulis ſua redderentur inſignia. Sunt etiam interdum in achate variæ zonæ tranſitu colorum mirabiles: ex quibus aliæ, atque aliæ ſuperficies cælatæ dant varios colores. Gemmis ſcalptis annulis incluſis veteres ſignabant, vt Auguſtus Sphynge. Poſtea imagine Alexandri magni. Auguſti vero imagine principes poſt eum ſignarunt, Mecęnas rana, Sylla Iugurtę traditione, Põpeius triumphis. Magi vero ſcalpturas quaſdam reconditioris, vt aiunt, ſapientię oſtentant. Alij vero ad oblectationem tantum huiuſmodi gemmas in dactilothecis etiam nunc aſſeruãt. Adamas ſuis opibus tantum commendari voluit; non arte, non figura vlla aſcititia, hac quoque parte indomitus. Hodie talis futurus, niſi artificum ſolertia in adamantem ipſum adamantem exacuiſſet. quo inuẽto indomita illa naturę vis, ferri & ignis contemptrix ſuis viribus exciſa eſt. Itaque artificum manibus

tandem

tandem parere didicit, adeo nihil labor improbus peruincere non poteſt. Olim innotuerat alio adamante perforari poſſe: hoc leui vulnere cognitum eſt poſſe etiam domari. Omnium qui olim cælarunt, ſcalpſeruntùe probatiſſimus habitus eſt Pyrgoteles, Alexandri magni iudicio, qui vetuit ab alio ſe in gemma ſcalpi quàm à Pyrgotele: quo præiudicio primam laudem apud poſteros omnium ſuffragijs adeptus eſt. Proximi à Pyrgotele fuere Apollonides, & Cromius. Vdimus Amethyſtum vnciali magnitudine, Apollonidis manu ſcalptam: in ea effigiem Dianæ, opus adeo partibus omnibus abſolutum, vt nihil ſupra. Artificis nomen adſcriptũ eſt, tam exilibus literis, vt fere viſum effugiant. Eſt ea gẽma Horatij Tigrini, inſignis & ingenio, & animi cãdore viri. Famam etiã habuit Dioſcorides, qui Diui Auguſti imaginem expreſſit, qua poſtea principes ſignabant. Similem ſi nõ eandẽ cælaturã habet Heroardus medicus regius, naturæ pariter, & artis bonis exiſtimator. Vidi etiam Mercurium eiuſdem Dioſcoridis manu exſcalptum ex ſarda gemma, cui artificis nomen adſcriptum eſt. Eius mihi copiam fecit idẽ qui & Dianæ illius Apollonidis. Poſtea cœpit ars in peius ruere, nec quiſquam exinde repertus eſt qui priſcos illos ęmulatus ſit.

# ILLVSTRISSIMO
## ET EXCELLENTISSIMO D.
### ANNAE, DVCI DE GIOIOSA, FRANCIAE PARI, ET AMMIRALIO.





E ſculptura, & pictura germanis artibus ſcripſi Romæ, id eſt in harum artium celeberrimo gymnaſio. non vt artem docerem, quam nemo vnquam tam bene verbis illuſtrauerit, atque recentiores iſti penicillo. quorum manus cum veterum ſolertia certare indicauerit, qui Michaelis Angeli, Raphaelis, & aliorum opera contulerit, cum ijs quæ Plinius de veterum illorum arte prodidit. Tametſi quædam in ea lateret præſtantia, quam nemo vnquam ſcribendo potuit exprimere, Apelles vno verbo Venerē appellabat, qua vna præſtabat cæteris pictoribus. Aliâ ne fuerit ab ea, quam Raphael ille Vrbinas, & alij nōnulli huius ſeculi clari pictores ſua arte complexi ſunt, nihil auſim aſſerere. horū extant opera illorum leguntur. et leguntur pleriſque locis corruptè. Quocirca vt iuſta comparatio fieri poſſet & temporum, & artificum, viſum eſt antiquæ artis lineamenta, quæ extant apud eum autorem iam pene fugientia, reſtituere

*


ſtituere: labes, quas quibuſdam locis temporum iniuria aſperſerat, hac veluti ſpongia detergere: ac denique hanc tabulam inſtar tot nobilium operum, quæ iamdudum tempus abſumpſit; obſeruantiæ, & obſequij erga te mei tibi monimentum dicare.

*Amplitudini veſtræ*

*Deditiſsimus ſer.*

*Lud. Demontioſius.*

# PICTVRA,





DE PICTVRA arte illa nobili dicendum est, quæ tam fœlici ſucceſſu poeſim æmulata eſt, vt pariter oculos atque illa aures tenuerit. affectus vtraque mouens, vtraque parem ſemper ſibi licentiam arrogans. Huius artis initia ſunt incerta. Aegyptij ſex millibus annorum antiquiorem faciunt quam Greci, vana antiquitatis iactatione. Græci alij Sicyone, alij apud Corinthios primum inuentam fuiſſe prædicant. rudibus primum initijs: nempe vmbra hominis lineis in parietibus circumſcripta. vnde prima lineamenta ducere, vno verbo adumbrare dicim⁹. Huius inuentionem adſcribunt alij Philocli Aegyptio; alij Cleanthi Corinthio. Sed primi teſte Plinio exercuere Aridices Corinthius, & Thelephanes Sicyonius, ſine vllo colore. iam tamen ſpargentes lineas intus, quæ magis admonerent quam oſtenderent. Ideo & quos pingerent adſcribebant. Cleophanes Corinthius primus inuenit eis colorem addere teſta trita. & iam tum pictura in duo genera diſcreta eſt, in linearem videlicet, & coloratam. Sed linearis vacua eſt, aut plena. Vacua quę extremis tantum lineis conſtat. Huius ſunt diſpoſitio, & ſymmetria, & tertia, quæ nomen latinum non habet, optice, quam Plinius menſurarum nomine ſignificauit. Diſpoſitio eſt partium ſingularum ſitus, & recta collocatio. Symmetria commenſus partium ſibi inuicem. Optice earundem pro varietate ſitus, & poſituræ, diſſimilis & inęqualis delineatio. De diſpoſitione & menſuris Plin. cap. x. lib. xxxv. vbi de Apelle ſic ſcribit. fuit autem non minoris ſimplicitatis, quàm artis. nam cedebat Amphioni de diſpoſitione, Aſclepiodoro de menſuris, hoc eſt quantum quid à quo diſtaret. Sed adduci non poſſum vt credam autorem ita ſcripſiſſe;

quinimo quædam hic transposita esse, aut ei falso adscripta. Nam quantum quid à quo distaret ad partem illam graphices quã Plinius proprio nomine distinguens à cęteris dispositionẽ appellat, referendũ non est. Exempli gratia, in architectura dispositio linearis ostẽdit quo quidque loco ponendum sit, quantũ item quid à quo distare debeat. vt quo interuallo colũnę sint collocandę, quo item reliqua. Deinde ad symmetriã omnia sunt exigenda. hæc pro quantitate ædificij ostẽdit partiũ singularũ cõmensum. Demum totius ędificij mensurę ad opticen reuocandę sunt. nec iam vna mensura est, sed infinitæ in vnum punctũ coeuntes, à quo totius optices ratio pendet. Hęc ita habere ex Plinio ostendo, cum trium harum partium graphices diuersis locis meminerit. Quod si mensuras à dispositione seiungamus, nec curet amplius dispositio quantũ quid à quo distare debeat, sciscitari velim quæ sint dispositionis partes? Nam si ędificiũ aliquod delineandum sit, occurrit primum illud, quantum singulæ partes inuicem distare debeant. Si quis figuram hominis instituat, eadem cura solicitat aggredientem. Tribuamus hoc mensuris: quid tandem dispositioni superit? Mensura nomen generis est, & dispositioni, & symmetriæ pariter inseruiens. Sed quatenus speciẽ distinctã constituit, ex proprijs mensuris constat, coeũtibus lineis in punctũ. Et sane si mẽsuras in genere intelligamus, eas geometria sibi vindicabit: nec est cur architectura eas sibi arroget. Sed quid diutius hic moror? disponere quid aliud est quã suis locis singula statuere? Symmetrię propriũ est partiũ mensuras psequi. Sed cũ optice latinũ non haberet, mensuras Plinius pro ea vsurpauit. Cũ igitur locus sic haberet, nõ cedebat Amphioni de dispositione, hoc est quantũ quid à quo distaret, Asclepiadoro de mensuris, quidam qui hęc non nouerat, hanc interpretationem ad mensuras refererendam esse duxit, existimans appositius mensuris, quam dispositioni conuenire. Quocirca vt membrum luxatum in suos artus redeat, locum ita legemus. Non cedebat Amphioni de dispositione, hoc est quantum quid à quo distaret, Asclepiodoro

doro demensuris, &c. Symmetria altera graphices pars est, quæ summam venustatem operi conciliat. De hac non semper cōuenit inter artifices. Quippe cum natura in symmetria corporū nō sibi semper cōstet, quęrendū fuit, quęnā ex oībus maxime probāda esset. Neque enim cuiusque iudicio standū fuit. Vulgus enim quod rectū est probat, sed nō desiderat exquisitā illā pulchritudinē, cuius vnius amore flagrat peritus artifex. Itaque vel si nusquā reperiatur, eā sibi nihilominus ob oculos proponit, & eius speciē amat. tum eius pulchritudinis partes inuicē cōponit, vt solēt virgines hinc inde lectis floribus coronā nectere. Sic olim Zeuxis Agrigentinis facturus tabulā virgines earū nudas inspexit, & ex eis quinque elegit, vt quod in singulis laudatissimum esset pictura redderet. Hāc pulchritudinē Lysippi iudicio nemo vnquā satis accurate expressit. Aliquādo enim interrogat⁹ quē sequeretur antecedētiū, dixisse fertur demōstrata hominū multitudine, ipsam naturā imitendā esse, nō artificē. Nec tamen naturam in vno laudauit, sed speciē quandam pulchritudinis, quæ ex vniuersa multitudine colligi posset. Quocirca dicere solebat, ab alijs homines factos quales essent, à se quales viderentur. Apelles sibi diffidens admoneri volebat. proponebat enim in pergula opera absoluta, ipse latens auscultabat, si qua forte vulgus improbaret. Symmetriā prim⁹ in pictura seruasse fertur Parrasius. Tertia graphices pars est optice. Plinius inopia Latini sermonis ei nomen nō tribuit, sed quę sint eius partes satis explicat, vbi de Parrasio cap. x. lib. xxxv. Cōfessione inquit artificū in lineis extremis palmā adeptus est. Hæc est in pictura sūma subtilitas. corpora enim pingere, & media rerū, est quidē magni operis, sed in quo multi gloriā tulerint: extrema corporum facere, & desinentis picturę modū includere, rarū in successu artis inuenitur. Ambire enim debet se extremitas ipsa, & sic desinere vt promittat alia post se, ostendatq; etiā quę occultat. His verbis Plinius opticen descripsit; tametsi locum non prorsus bene habere suspicor. nam verba illa extrema corporum facere, & desinentis picturæ modum

includere,rarum in ſucceſſu artis innenitur,ſic malim legere, extrema corporum facere, & deſinētis picturę modo illudere, rarum in ſucceſſu artis inuenitur. Nam deſinentis picturę modum includere quid ſit neſcio;ſed deſinentis picturę modo ſpectantibus illudere hoc artis eſt. Hoc vt præſtet artifex primum obſeruare debet, quantum quid à quo diſtet,totius operis in plano configuratione. Obſcuris deinde lineis ſurſũ ad perpendiculum erectis ad propoſiti puncti menſuram eas omnes exigere:habita in primis ratione quantum quælibet à puncto diſtet. Vnde patet in hac graphices parte prȩcipuum eſſe vſum menſurarum, ſiue prima operis in plano configuratio ſpectetur,ſiue operis adumbrata ſpecies(illam Ignographiam Grȩci dicunt, hanc ſciographiam,Hermolaus barbarus ſcenographiam.) vel ſi opus ſit recedentes operis partes extremis lineis terminare. in quo prima laus eſt quantum ad integrum corporis ambitum deeſt, id ſenſim, ita oculis ſubducere, vt deſinentis picturæ modo, ars ſpectantibus illudat. Artifici dictum ſat eſt de graphice nobiliſſima picturæ parte. In qua neſcio an quicquam vtilius iuuentuti proponi poſſit quo erudiatur. & Grȩci in hac ſententia fuerunt. Quocirca inquit Plinius, accedente Pamphili egregij pictoris autoritate effectum Sycione primum,deinde etiam in tota Græcia,vt ingenui pueri ante omnia graphicen,hoc eſt picturam in buxo docerentur,reciperetur quæ ea ars in primum gradum liberalium. Semper quidem honos ei fuit, vt ingenui eam exercerēt, mox vt honeſti, perpetuo interdicto ne ſeruitia docerentur. Hȩc ſunt verba Plinij, cuiuſdam imperiti gloſſemate interpelato, qui graphicen picturam interprȩtatus eſt, ſpeciē pro genere accipiens. Quocirca hanc interprætationem, vt Plinio indignam reijcimus. Graphice plena fit lineis intra figuram deſcriptis. Primi omnium Aridices Corinthius, & Telephanes Sicyonius lineas intus ſparſerunt. Ars deinde exculta fuit, noſtris quidem temporibus vſque adeo, vt picturæ coloratæ effectus in exprimendis vmbris,& luminibus æmuletur. Oſtendit enim contracta,& proiecta, caua & intu-

meſcen-

meſcentia,& quicquid denique colores præſtare poſſunt,idipſum præſtat graphice.

Nunc de pictura colorata videndum eſt. Huius tria genera conſtitui poſſunt. vnicolor, bicolor, tricolor. Primi generis autor fuiſſe perhibetur Cleophanes Corinthius, qui primus inuenit figuras teſta trita colorare, quæ prima artis incunabula fuerunt. Qui deinde ſequuti ſunt cinnabari pinxerunt, & epheſio minio, quod derelictũ eſt, quia curatio magni operis erat, & quia nimis acre, vt ait Plinius. Ideoq; trãſiere ad rubricam, & ſinopidem. Spargebãtur autem intus lineę, in quibus præcipua laus erat. Sed ex pluribus etiam coloribus ſeorſum poſitis monochromata pinguntur. quo genere picturæ pinguntur etiam nunc folia luſoria varijs coloribus, idque membranis feneſtratis. Nihil enim intereſt ſiue vnus, ſiue plures colores adhibeantur, modo ſint diſtincti, & puri. Nam hoc picturę genus inter monochromata cenſendum eſſe, Plinij verba oſtendunt quæ ſunt cap. xj. lib. xxxv. Pingunt inquit, & veſtes in Aegypto, inter pauca mirabili genere. Candida vela poſtquam attriuere illinentes, nõ coloribus, ſed colorem ſorbentibus medicamentis. Hoc cum fecere non apparet in velis, ſed in cortinam pigmenti feruentis merſa poſt momentũ extrahuntur picta. Mirumq; cum ſit vnus in cortina colos, ex illo alius, atque alius fit in veſte, accipientis medicamẽti qualitate mutatus. Hoc cum Plinius inter picturæ genera recenſeat, certum eſt ad monochromata referendũ, cũ ex ſingulis coloribus conſtet. ad bicolorẽ enim, aut tricolorẽ non põt. Puris etiam coloribus pingunt occidentales Indi, cuiuſmodi liber vnus extat in bibliotheca Vaticana.

Pictura bicolor effecit vmbrarũ adiectione, vt corpora intumeſcere viderentur, & quaſi ſolideſcere. Huius nuſquam memini Plinium mentionem facere. à monochromate enim trãſit ad picturam numeris omnibus abſolutam. Cum tamen noſtris temporibus multa ſint huius operis exempla, in quibus nullo adiecto lumine, nihil ad graphicen præter vmbrã accedit, & habet tamen pictura venuſtatem. Hoc fere genere

pictores

pictores vultus primũ in charta imitãtur,quo deinde exẽplo opus accurate perficiũt. Bicolorẽ hãc picturã eo dico qđ ad monochromata referri nõ possit, cũ huic præter colorẽ extensũ in tabula,accedat vmbra,color alius à subiecto.Sed nec ad tricolorẽ picturãreferri põt, qa ĩ hac vt dicem⁹, lumen ab vmbra tono discernitur. Quocirca tertiã speciẽ necesse fuit cõstituere, mediã inter monochromata,& picturã tricolorẽ.

Tandẽ,inquit Plinius,se ars ipsa distinxit,& inuenit lumen atque vmbras,differentia colorũ alterna vice sese excitante. Tricolorẽ hic picturã ostendit. Est enim hic color extensus in tabula instar subiecti, medius inter vmbrã & lumen, sensim ad vtrũque porrectus.Hęc tria corpus plenũ, & solidum faciunt. Sed in sociandis coloribus adhibenda est cura circa transitus colorum, vt molliter coeant indiscretis commissuris.Huc pertinet illud nobile certamen inter Apellem,& Protogenem valde celebratũ. Tametsi pauci admodũ intelligant de quo inter nobiles illos artifices certatum fuerit.Quod certamen sic à Plinio describitur,vt illis tẽporibus vulgatissimũ. Scitum est inquit, inter Protogenem, & eum (de Apelle loquitur)quid accidit.Ille Rhodi viuebat.quò cum Apelles ad nauigasset auidus cognoscendi opera eius fama tantum sibi cogniti, continuo officinam petijt. Aberat ipse sed tabulam magnæ amplitudinis in machina aptatam picturæ anus vna custodiebat. Hæc Protogenem foris esse respondit, interrogauitq; à quo quæsitum diceret. Ab hoc, inquit Apelles, abreptoq; penicillo lineam ex colore duxit summæ tenuitatis per tabulã.Reuerso Protogeni quę gesta erant anus indicauit.Ferunt artificem protinus contemplatum subtilitatem dixisse Apellem venisse.non enim cadere in alium tam absolutum opus.Ipsum tunc alio colore tenuiorem lineam in ipsa illa duxisse, præcepisseq; abeuntem, si redijsset ille, ostenderet, adijceretq; hunc esse quem quæreret. atque ita euenit. Reuertitur enim Apelles, sed vinci erubescens tertio colore lineas secuit nullum relinquens subtilitati locum. At Protogenes victum se confessus in portum deuolauit hospi

tem

tem quærens. Placuitq; sic eam tabulam posteris tradi, omnium quidem; sed artificum pręcipuo miraculo. Addit Plin. Consumptam eam constat priore incendio domus Cæsaris, in palatio auide ante à nobis spectatam, spatiosiore amplitudine nihil aliud cõtinentem, quàm lineas visum efugientes, inter egregia multorum opera inani similem, & eo ipso allicientem, omniq; opere nobiliorem. Recte Plinius si audita tantum retulisset. Sed cum addat, antequam incendio consumpta esset tabula, eam se auide cõtemplasse, spatiosiore amplitudine nihil aliud continentem quam lineas visum effugientes, pace tanti viri dixerim, si totus Argus fuisset, si totus Lynceus, lineas videre non potuisset quę nusquam erãt. Vir in cæteris diligentissimus hallucinatus est vulgi præiudicio. Cum enim fama esset de lineis institutã disputationem inter nobiles illos artifices, & opus adhuc extare in ea tabula, eas videre visus est: alioqui se parum perspicacem crediturus. Sed qui de lineis initum fuisse certamen à claris illis artificibus dixerant, id aliorsum intelligebant, atque isti acceperint Certum est enim in pictura colorata nullum esse prorsus linearum vsum. Imò vitio dari si lineæ appareant. Extremæ enim lineæ, qua parte vmbra desinit ei prorsus adherent, & cum ea confunduntur. Quæ verò intus sparguntur, ne ipsæ quidem ab vmbra separantur. Sed nec qua lumen pictura recipit lineas vllas cernere est. Quod si ad graphicem spectemus, ne hic quidem video cur hæc subtilitas linearum tantopere commendetur in pictore: cum artificum iudicio pictura linearis eo nomine nunquam laudetur; sed id tantum spectetur, an graphice rerum effigies sint adumbratę. Nec interest tenuioribus lineis an crassioribus. Imo de industria lineamenta crassioribus primum lineis adũbrantur. Vidi enim multa autographa peritissimorum artificum, qui hoc fœlicissimo sæculo floruerunt. Michaelis angeli Bonaroti, Raphaelis vrbinatis, saluiati, Polidori, Parmẽsis, Titiani, aliorũq; nobilium artificum, sed neminem animaduerti affectasse vnquam subtilitatem illam linearum. Itaque videndum est

quod

quod huius celebris certaminis subiectū fuerit, & quod tantum artis specimen, vt eo viso manus fama tantum cognitæ subito dignoscerentur. Sed lectorem picturæ quadantenus peritum opto, aut qui saltem doceri velit. huic ego rem vt est paucis exponam. Primum nosse opere pretium est in pictura absoluta colores singulos tribus differentijs tanquam gradibus distingui. Luce, vmbra, & splēdore. Sine luce nihil omnino cerni potest. Hęc quaquauersus corpus solidum opacū feriat, vmbram in parte opposita circumscribit. Inter lucem & vmbram splendor spectatur. in lumine color dilutus est, in vmbra saturatus. in splendore coloris species cernitur; in maiori luce non discernitur, nec item in vmbra intensa, sed opus est lumine moderato. In luce enim intentissima color omnis candidus apparet. Quocirca in transfiguratione Christi omnia apparebant spectantibus Apostolis cādida, propter lucis intentionem. Contra si lux remissior sit, ne tunc quidem discernitur colos. Quo fit vt ad ignis, aut lunæ splēdorem rubeus color fuluus videatur, viridis ceruleus. Si vero vmbra intensior sit, omnia nigra videbuntur: adeò nisi moderato lumine species discerni nequit. Hæc Plinius optime exposuit in illo cap. v. lib. xxxv. Tandem inquit se ars ipsa distinxit, & inuenit lumen, atque vmbras, differentia colorum alterna vice sese excitante. Deinde adiectus est splendor, alius hic quā lumen, quem quia inter hoc, & vmbram esset, appellauerunt tonum. commissuras vero colorum & trāsitus, armogen. hæc Plinius. Cleonides autor est tonū quatuor significare. pthongum, interuallum, locum vocis, & eiusdem tenorem. Et hodie etiam musici indiferenter pro his quatuor vsurpāt. Quoquomodo accipiamus recte veteres splendorem appellauerunt tonum. est enim splendor in pictura idem quod pthongus in musica. & quemadmodum in musica proxima vocum solida interualla per tonos prograediuntur, sic per hos etiam tonos colorum species. Præterea vt in musica locus vocis dicitur tonus, sic in pictura vbi coloris species refulget tonum dicemus. Denique etiam tenorem vtrobique rectè appellabimus

bimus vbi vox inter acutum,& graue ſuſtinetur.& vbi color pariter inter lucem & vmbram ſubſiſtet. Cæterum in muſica tonus à tono ſemitonio diſtinguitur. in pictura color à colore armoge.Semitonium eſt tranſitus, & tanquam commiſſura vocum. & item armoge tranſitus & commiſſura colorum. Armoge igitur in pictura inſtar ſemitonij eſt. Adde,quemad modum tonus in muſica in æquales partes diuidi nō poteſt, ſic nec coloris ſplendorem ab extremis ęquali interſtitio diſtare; ſed vmbram aliquanto latius excurrere inſtar ſemitonij maioris: vt in corpore ſpherico optica ratione demōſtrari ſolet. Hæc cum Plinius optime nouiſſet, miror eum non intellexiſſe qua de re inſtitutum fuiſſet certamen inter nobiles illos artifices, tametſi tabulam vidiſſet. Nam in lineis exprimendis certaſſe falſum oſtendimus. cum & Plinius dicat penicilli opus fuiſſe. Atqui penicilli vſus nullus eſt in graphice. De ſectione igitur lineę contenderunt. hoc eſt de ſciſſura & tranſitu colorum: de commiſſura illa quam Plinius Harmogen appellat. Enimuero digna res eſt in qua pictor excellere ſtudeat; nō in lineę ductu, quam ſi quis paulo ſubtiliorē pingere ſtudeat, ne Apelles quidem ipſe ſemel diuidere poſſit. In armoge verò, vt colorum, ſic artis & artificis ſplendor elucet. Vt enim muſicum eum laudabimus, qui recte modulabitur diſtinctis interuallis, ſic pictor qui colorū gradus pulchre diſtinxerit, & tranſitus eorum notauerit, ille quod ſummum eſt in arte aſſequutus erit. Cum igitur Apelles abrepto penicillo ex artis ſui ſpecimine à Protogene agnoſci vellet, non figuram expreſſit; ſed armogen in colore notauit. Protogenes artem agnouit; ſed artificis negligētiam notauit alio ſubinde colore interiecto tranſitū, qui duriuſculus erat molliens. Aemulatio arti lęnocinata eſt. erubeſcens enim Apelles vinci, commiſſuram ipſam ſecuit alio interiecto colore adeo tenui, vt nihil ſupra. Ita de Syſtemate picturæ diuidendo certarunt ſummi artifices. digna certe cura in quam toto pectore incumberent. Plinius igitur in his parum exercitatus, cum tabulam auide contemplaretur, videre viſus eſt

 lineas,

lineas, tametſi viſum effugientes fateatur, quia ſcilicet nullæ prorſus erant.

Ex his apparet colores ſingulos in pictura abſoluta tribus gradibus diſtingui, tono, luce, & vmbra: quorum bini armogę ſociantur. Idcirco hanc tricolorem picturam dixi. Sed Plinius duo picturæ genera tantum agnoſcit, monochroma, & varium. Illi monochroma eſt, cum vnus tantum color tabulę inducitur, vmbra tamen, & lux ſuis locis ſparguntur. Quo picturę genere claruit hoc ſęculo in Italia Polidorus, cuius extāt multa pręclara opera Romę, fœcundi admodum ingenij partus. Vidi etiā miniaturā eiuſdē generis, tam accurate pfectam vt in trāſitu colorū nihil deſiderari poſſet. Idcirco hoc picturæ genus ad tricolorem picturā retuli. Bicolorem enim picturam dixi, cui ad colorem extenſum in tabula nihil præter vmbram accederet. Vnicolorem vero, in qua colores ſinguli puri ſeorſum ponuntur. Itaque cum tria ſint nobis picturæ genera vnicolor, bicolor, tricolor, Plinius de tricolore tantum agit, cuius duæ ſunt illi ſpecies, monochroma, & varium. cui nomen non tribuit.

Idem Plinius nobis autor eſt veteres quatuor coloribus dumtaxat pinxiſſe. ex albis melino, ex ſilaceis attico, ex rubris ſiniopide pontica, ex nigris atramento. Sed ſilaceus ille cuiuſmodi fuerit nemo ſatis explicauit. Philander purpureum, & luteum in vltimo interpretatur. Sed tamen neutrum hoc loco ſignificare poteſt: cum ex quatuor illis coloribus quibus veteres illa nobilia opera factitarunt vnum oporteat eſſe cęruleum. Certum eſt enim in pictura minimum opus eſſe his quatuor coloribus, albo, nigro, rubro, & ceruleo. Quorum mixtura cæteri omnes componuntur. ex albo & nigro cineraceus, ex rubro & nigro fuluus, ex rubro & cęruleo viridis, ex hoc & rubro, luteus, ex albo & ceruleo cęſius, & ex his rurſus alij innumeri. Huius fœcūditatis cauſa eſt, quod ex quatuor illis primigenijs bini quam lōgiſſime diſtent. Album ſcilicet à nigro, rubrū à ceruleo. quo fit vt inter medios oēs ſua facultate cōprehendant, nec extra cadere poſſit colos vllus. Noui-

mus

mus quidē ex sile fieri colorē luteū,& purpureū;sed cū Attici adiectione colorē cęruleū semper significat: cuius penuria factitio vtebātur,maxime ad tectoria opera. Quomodo autē fieret,docet Vitruuius cap.xiiij.lib.vij. Tectores inquit cum volūt sil atticū imitari, violā aridā conijciētes in vas cū aqua cōferuefacere faciūt ad ignē, deinde cū est tēperatum conijciunt in linteū,& inde manibus exprimentes recipiūt in mortariū aquā ex violis coloratā,& ex ea, eretriā infundentes, & eā terentes,efficiūt silis attici colorē.Sed inquit Philāder,Plinius lib.xxxiij.cap.vlt. non silis, sed cęrulei eā fraudē refert. Locus Plinij quē citat sic habet.Cęrulei synceri experimentū in carbone vt flagret. Fraus viola arida decocta in aqua, succoq; per linteū expresso in eretriā. Sed Vitruuius docet eā esse fraudē silis attici.Itaque silis attici & cęrulei eadē ratio.Sed sil limus est,cęruleū arena,vtriusque color idē.Porro cum hi duo autores dicant idē, & alter alterū explicet, Philander eos tanquā par gladiatorū inuicē cōmittit. Nec interim animaduertit,hac interpretatione cęruleū extra picturę septa arceri, vnū videlicet ex quatuor picturæ elemētis.Sed homini parū in pictura versato, tametsi alias erudito,fas fuit hæc ignorare, nisi pollicitus esset ex professo se de coloribus scripturū. Cęterū Plinius,qua est diligētia,cū de coloribus sermonē instituit,prętia eorū, vt tunc erāt posteris tadere voluit. Sed numeri corrupti sunt notarū similitudine. Primū vbi de sile sic scribit cap.xij.lib.xxxiij.Sil inquit proprie limus est. Optimū ex eo quod atticū vocatur, pretium in libras xxxij. Budæus existimat, vbi numi gen⁹ nō exprimitur sestertiū numū intelligēdū esse. Itaque hic sestertios xxxij.legendū putat. Ego vero existimo ex tribus notis denarij,primā denariū numū significare, vt & aliàs sępe. quanquā interdū linea trāsuersa decussim scinderet. Sed de his fusius cū de notis numerorum scriberemus,quæ aliquando lectori impertiemus,cū in eum vsū condita sint à nobis. Hunc igitur locum Plinij ita legemus cū distinctione numi, pretium in lib.x.xxij. hoc est sine contractione, pretium in libras denarij duo & viginti. Eodē capite,

ex cęruleo fit quod lomentum vocatur. Perficitur lauando, terendove, & hoc est ceruleo candidius. Prætium eius xxiij. cęrulei xviij. Notarij lapsus etiam hic ita restituendus est. denarij xiij. cęrulei denarij octo. Quod item sequitur, nuper accessit & Nestorianum ab autore appellatum. Fit ex Aegyptij leuissima parte. prætium eius xl. in lib. lego denarij l. in lib. Paulo post. Nō pridem apportari & indicum est cœptum, cuius prætium xvij. in libras. lego denarij septem in libras. Ita legendum esse ex Plinio ostendo: cum sinopidi prætium statuat in libras denarios tredecim expresso genere numi, cap. vj. lib. xxxv. Si enim sinopis rubricę genus tredecim denarijs æstimabatur, quomodo sil & cęruleum non pluribus fere sestertijs venderetur? Præterea solet Plinius si denariorum numerus rotundetur, per denarios prætium exprimere, potius quam per sestertios. vt in eo loco quem proxime ascripsi de sinopide. Igitur in proximo exemplo denarios octo potius dixisset, quàm xxxij. sestertios. Adde, cum cęrulei prætium xxiij. in libras æstimarit, quomodo vno tantum sestertio prętium abfuerit à sex denarijs? cur summa rotundata non est? non enim solent prætia rerum constitui ita precise, vt numi sestertij ratio habeatur in maiuscula summa. Est & aliud inquit genus lomenti, quidam tritum vocant quinis assibus ęstimatum. Hic quoque non satis emendate legitur quinis assibus, pro quinque denarijs. Sed hæc vt iam pollicitus sum, latius alias explicabuntur. Quod vero sequitur eodem loco, postquam indici prætium ostendit. Ratio in pictura ad incisuras, hoc est vmbras ab lumine diuidēdas. Hæc etiam lectio parua adiectione quantum mutata est à prima? Hæc enim, ab lumine, non sunt autoris, sed cuiusdam qui nesciebat quid esset vmbram ab lumine diuidere. Itaque putauit autorem incisuram hic posuisse pro tono. proinde addidit de suo, ab lumine: infęlici sane successu. nam hac additione luminis, huic loco tenebras offudit. Tonus vt dixi, vmbrā diuidit ab lumine: scissura aliud est quam tonus. Non enim diuidit vmbram ab lumine, sed vmbram ipsam. & hoc est proprie scindere, il-

lud diuidere. Sit exempli gratia figura oris exprimenda. ducetur primum linea, quæ labium superius ab inferiore diuidat. deinde ab eminentiore parte labiorum incipiendo, ad interiorem partem vmbra intendetur, vt vtriusque labij intensior vmbra desinat in lineam illam, quæ diuidit labium superius ab inferiore, & vmbram ab vmbra, non vmbram à lumine; vt falso existimauit ille, si dijs placet, paraphrastes Plinij. Pro coloribus etiam veteres interdum res coloratas vsurparunt: vt in opere vermiculato, cuius primum vsus fuit in pauimentis lithostratis. His primus famam dedit qui autore Plinio Pergami strauit quem vocant asaroton oecon. Quoniam purgamenta cænę, quæq; euerri solent veluti relicta, fecerat paruis ex testulis tinctis in varios colores. Vt autem noscatur quam elegans fuerit hoc genus picturæ, addit eodē loco. mirabilis ibi columba bibēs, & aquam vmbra capitis infuscans. Apricantur aliæ scabentes sese in canthari labro. Ex humo inquit pauimenta in cameras transiere, & e vitro fieri cœperunt. Claudij temporibus inuentum est interraso marmore, vermiculatisque ad effigies rerum, & animalium crustis pingere innatis marmori coloribus. Huc pertinet quęrimonia illa autoris, luxum, & delitias exprobrantis suo sæculo. Non placent inquit iam abaci, nec spatia montis in cubiculo delitescentia, cœpimus & lapidem pingere. Sed & huius loci sententiam vnius literæ adiectio mutauit, cum lapidem perperam, pro lapide legatur. Non enim hic de lapidum pictura loquitur; sed de pictura quæ fiebat lapideis tessellis. Lapidem vero pingere Neronis temporibus inuentum fuit, & maculas quę non essent in crustis inserēdo, vnitatem variare: vt ouatus esset Numidicus, vt purpura distingueretur Sinnadicus, qualiter illos nasci optarent dilitię.

FVIT & alia pingendi ratio, quā encausticen appellabant, quod pictura inureretur. Idque duobus modis, cera, & ebore cestro, idest viriculo. Hodie vtraq; ratio ignoratur. Si tamen est coniecturæ locus, ego priore illo encausti genere hac ratio-

ratione picturam inustam fuisse crediderim. Ceram primum induratam medicamentis. ex ea deinde factas fuisse tabulas, in quibus formæ eorum quæ pingenda essent incidebantur. Tum, quēadmodum in vermiculato opere, in eas formas cauas ceris inditis varij colores figuris inducebantur, nullis apparētibus cōmissuris. Hoc in eo genere pręstantissimum erat, quod ceræ pictæ carnis similitudinem fęlicius æmularentur, quam si dilutis coloribus pictę fuissent. In ebore vero cestro, idest viriculo, pingebant. Cestrū pollux styli genus interpretatur. vnde conijcio ita veteres ebori picturam inussisse, vt quod pingēdum esset graphice primum in ebore adumbrarent. Deinde seruata ratione luminum, & vmbrarum, eboris candore ad lumina vterentur. tonum verò, & vmbram pictis ceris exprimerent. Huic generi picturæ ea erat gratia, quod cum in ceris nitor quidam splendeat, ad lumina splendidiore colore opus fuit, qualis in eboris candore cernitur. Ea fuit igitur optima colorandi ratio, vt colorem vmbra paullo dilutiore condirent, à tono vero ad intensissimum colorē progrediendo picturæ lumen darent ex ipso ebore. Omnibus enim coloribus bene est cum albo, nitentibus vero optime cum candore. Hic candor maxime in picturis muliebribus laudabatur. Nam & anulare candidum erat, quo muliebres picturæ illuminabantur. Id fiebat ex creta, admixtis vitreis gemmis ex vulgi annulis, vnde & anulare dictum fuisse autor est Plinius. Itaque & hoc encausti genere veteres vtebantur ad pingendas mulierum effigies. Lala Cizenica cum & penicillo pingeret, pinxit & cestro in ebore, imagines mulierum maxime. Inde conijcio eum fuisse vsum eboris in encaustice. Imo ita fuisse qualibet sponsione libens asseruerim. Tertium encausti genus accessit, resolutis igni ceris penicillo. quod picturæ genus in nauibus nec sole, nec sale, ventisue corrumpebatur. Ideo non tantum classibus familiare fuit, sed & nauibus onerarijs. De encaustices autoribus verba Plinij apponā. Ceris inquit pingere, ac picturam inurere quis primus excogitauerit nō constat.

ſtat. Quidam Ariſtidis inuentum putant:poſtea conſumatũ à Praxitele. Sed aliquanto vetuſtiores encauſticæ picturæ ex titere, vt Polygnoti,& Nicauoris,& Archeſilai pariorum. Lyſippus quoque Aeginę picturę ſuę inſcripſit,encauſen.quod profecto non feciſſet niſi encauſtica inuenta iam tum fuiſſent. Pamphilus quoque Apellis præceptor, non pinxiſſe tantum encauſta, ſed etiam docuiſſe traditur. Pauſiam vero Sicyoniorum primum in hoc genere nobilem. hactenus de Encauſtice.

Nunc videndum eſt qui pingendo famã olim adepti ſint, & quid vnuſquiſque eorum ad artem exornandam contulerit. Tuum eſt Plinij recẽſere,qui magnam eorum partem ab interitu vindicaſti: quique eorum opera intercidere non es paſſus.Fecerat hoc Varro pari diligentia,atque pietate,ſeptingentorum artificum nominibus, figuris etiam aliquo modo expreſſis.Sed duræ temporũ vices hoc illi meritũ, artificibus famã, nobis vero memoriã eorum inuiderunt.Atticus etiam idipſum prę́ſtiterat. Quando igitur eorũ ſcriptis frui datũ nõ eſt,eos tantum ex Plinio percurram, qui ſuis inuentis artem excoluerũt.Non vos igitur ſilendi eſtis Aridices,& Telephanes,qui primi teſta trita colorare cœpiſtis, & lineas quaſdam intus ſpargere,politiores haud dubie futuri,ſi in meliora tempora incidiſſetis. Sequutus eſt deinde Eumarus,qui prim⁹ in pictura marem à fæmina diſcreuit. Huius deinde inuenta excoluit Cimon Cleoneus,qui catagrapha inuenit, hoc eſt obliquas imagines,& varie formare vultus,reſpiciẽtes,ſuſpicientes, & deſpicientes. Articulis etiam membra diſtinxit,venas protulit,præterq; in veſte & rugas,& ſinus expreſſit. His ſucceſſit Polygnotus,qui primus mulieres lucida veſte pinxit,capita earum mitris verſicoloribus operuit, plurimumq; picturæ primus contulit. Siquidem inſtituit os adaperire, & vultum ab antiquo rigore variare de eodem Plin. cap. xix. lib. xxxv. Huius eſt inquit tabula in porticu Põpeij,quę ante curiam eius fuerat, in qua dubitatur aſcendentem cum Clypeo pinxerit an deſcẽdentem. Hic locus obſcurior paulo eſt,ne

forte

forte difficilius fuit in ea tabula iudicare, aſcendentẽ cum clypeo Polygnotus pinxiſſet, an deſcendentem, quàm hic conijcere quid voluerit autor his verbis ſignificare. Cum appareat, voluiſſe eum reconditum quoddam artificium notare. & certe ita eſt. Hac enim deſcriptione videre videor figuram ita poſitam, vt accedenti, & retrocedenti alia, atque alia videretur. Omnes figuræ ita poſitæ ſunt vt radijs rectis aſpiciendę ſint, aut obliquis. Rectis è regione tabulæ. Obliquis vero aut ex eodem plano, ſed à latere, aut ex diuerſo plano, inferiore, vel ſuperiore. Si de loco inferiore figura ſuſpicienda ſit accedenti ad tabulam figura deſcendere videbitur, recedenti aſcendere. Contra ſi de loco ſuperiore deſpici velit, quo longius à tabula recedet oculus, figura deſcendere videbitur, quo propius accedet deſcendere. & ratio optices ita cogit fateri. Polygnotus igitur in pictura ſolers nouam rationem excogitauit, qua illuderet ſpectatori. Figuram enim ea arte pinxit vt pars ſuperior, tãquam de ſuperiore loco videretur, inferior ex inferiore, vna & eadem figuræ poſitura diuerſa eiuſdem artis exempla complexus. Vt ſi in partem ſuperiorem oculus intenderetur, recedendo figura deſcẽdere videretur. contra aſcendere, ſi in inferiorem partem intueretur. Hoc puto voluiſſe Plinium laudare in Polygnoto, quem nihilominus primis picturæ temporibus incluſit: cum nõdum lumina artis apparuiſſent, quæ poſtea in Apollodoro refulſerunt, qui primus gloriam penicillo contulit. Vnde & picturę ſecundam ętatem inchoabimus, à nonageſima tertia olympiade. cum antea nulla pictura admodum oculos tenuerit. Hic Apollodorus primus ſpecies exprimere inſtituit. Hunc ſequutus Zeuxis picturæ portas intrauit, quas Apollodorus aperuerat. Fecit Penelopen, in qua mores eius pinxiſſe videbatur. Sed de pulchritudinis ſpecie abſoluta nondum inter artifices conſtabat. Itaque & ipſe grandior in capitibus, articuliſq; iudicabatur. Quocirca fluctuans adhuc cum pulchritudinis ſpeciem nondum animo contemplatus eſſet, facturus Agrigentinis tabulam, quam in templo Iunonis publice

dedica-

dedicarent, virginibus eorum nudis inspectis, ex ijs quinque elegit, vt quod in quaque laudatissimum esset pictura redderet. Aequales eius, & æmuli fuere Timantes, Androcides, Eupompus, & Parrasius. Primus hic symmetriam picturæ dedit, primus argutias vultus, elegantiam capilli, venustatem oris. Sed & in extremis lineis omnium artificum consensu laudem adeptus est. in medijs corporibus pingengendis non æque laudabatur. Maxime tamen nobilitatus fuit certamine illo, quo Zeuxidem superauit, ingenua ipsius Zeuxidis confessione, quod is vuis pictis aues tantum fefellisset, sed Parrasius artificem ipsum flagitantem remoto linteo ostendi picturam; cum tamen in ea tabula nihil præter linteum pictum esset. Ea tunc penicilli laus fuit, rerum species accurate pingere. Ipse vero Parrasius à Timante superatus est in Aiace, armorumq; iudicio. Vnde moleste se ferre dicebat, quod Aiax iterum ab indigno victus esset. Hic Timantes artem viros pingendi artificio suo complexus est. Addidit præterea argutias picturæ, cum in eius operibus plus semper intelligeretur, quam pictum esset. Exemplis Plinius rem illustrauit. Eius inquit & Iphigenia, qua astante ad aras peritura, cum mæstos pinxisset omnes, præcipue patruum, & iam tristitiæ omnem imaginem consumpsisset, patris ipsius vultum velauit, quem digne non poterat ostendere. Addit de Cyclope dormiente in parua tabula, cuius magnitudinem exprimere cupiens, pinxit iuxta satyros thyrso pollicem eius metientes. Ijsdem fere temporibus floruit Pausias Sicyonius. Is inquit Plinius eam picturam primus inuenit, quam postea imitati sunt multi, æquauit nemo. Ante omnia cum longitudinem bouis osten dere vellet, aduersum eum pinxit, non transuersum, vnde & abunde intelligitur amplitudo. Deinde cum omnes qui volunt eminentia videri, candicantia faciant, colorémq; con diant nigro, hic totum bouem atri coloris fecit, vmbræq; cor pus ex ipsa dedit, magna prorsus arte, in æquo extantia osten dens, & in confracto solida. Sed in his postremis verbis ma-

sim in contracto, quam in confracto. Nam in eo exemplo duo Plinius adnotare voluit. primum, quod vmbræ corpus dederit, non aliunde petito lumine quàm ex ipsa vmbra. Alterum; quod in figura contracta solidum corpus ostenderit. Euxenidus Aristide discipulo inclaruit, vt Eupompus Pamphilo, vt hic Appelle. Eupompus ea fuit autoritate vt picturam, cuius antea duo erant genera, Hellanicum, & Asiaticum, in tria diuiserit, Atticum, Ionicum, & Sicyonium, ab autore sic dictum, cum esset sicyonius. Pamphilus omnibus literis eruditus ad seueriorem normam picturam reuocauit. Siquidem sine arithmetica, & geometria negabat artificem perfici posse.

Iam tot artificũ manibus exculta ad suum finẽ peruenerat pictura, nec tamen adhuc species illa pulchritudinis in ea refulserat, nondũ eam inuiserat Venus. donec Apelles eam picturæ cõciliauit Olympiade cxij. Itaque cum eadẽ ætate præstantissimi pictores essent, omniũ opera admirabatur, laudabat ingenue. Cedebat Amphioni de dispositione, Asclepiodoro de mẽsuris. de Protogene dicere solitus, omnia sibi cũ illo paria esse, aut illi meliora, deesse tamen omnibus ijs illam Venerem dicebat, quam Græci Charita vocant. cætera omnia contigisse, sed hac sola sibi neminem comparandum. Honesta quidem oratio, sed qua sibi tamen in pictura principatum arrogabat. hac enim laude summam artis complexus, cæteris omnibus aliquid deesse notabat, sibi vni omnia contigisse. Hæc illa est idea pulchritudinis numeris omnibus absoluta, quam nemo præter eum assequi potuit. Euphranor dignitates heroum expressit, Aristides animum pinxit, & mores, Parrasius animi perturbationes. Sed aliud quiddam fuit ab his omnibus Venus illa, quæ Apellis opera commendabat. Mirum sane, potuisse artificem oculis subijcere, quod lingua eloqui non posset: nec posse quenquam verbis complecti, quod exigua tabella caperet. Idem etiam pinxit quæ pingi non possent: tonitrua, fulgetra, fulgura. Imagines autem adeo indiscretæ similitudinis, vt quidam

dam ex facie hominis addiuinans, quos metopofcopos vocant, ex ijs dixiffe feratur aut futuræ mortis annos, aut præteritæ. Tam certo etiam fucceffu fimilitudines expreffit, vt Ptolomeo Regi cum eum nominare non poffet à quo inuitatus veniffet, accepto carbone è foculo imaginem in pariete delineauerit, agnofcente rege vultum protinus ex inchoato. Vnum inquit Plinius imitari nemo potuit, quod abfoluta opera illinibat atramento ita tenui, vt id ipfum repercuffu claritatis colorum vim excitaret, cuftodiretque à puluere & fordibus, ad manum intuenti demum appareret. Sed hę postrema verba nô fatis intelligo. quid enim hoc fibi vult ad manum intuenti demum appareret? quę de num hic latet præftantia, quæ propria fuerit Apellis? Ego vero putarim hac claritate effectum fuiffe, vt numen quoddam appareret intuenti. Itaque fic malim legere abfoluta opera illinibat atramento ita tenui, vt idipfum repercuffu claritatis, colorum vim excitaret, cuftodiretq; à puluere, & fordibus, ac numen intuenti demum appareret. Lectoris efto iudicium. Porro præftantiam artificis vel hoc vnum teftabitur, quod inchoatam Venerem Cois nemo inuentus eft qui ad prę fcripta lineamenta operi fuccederet, morte prærepto eo antequam abfoluiffet. Eft in rebus humanis quadam prodire tenus, & definitus crefcendi modus, quem Apelles arte fua inclufit. Itaque nemo poftea inuentus eft, qui artem prouexerit. Fuere poftea nonnulli, qui deteriora fequuti, picturam ad res humiles reuocando, laudem tamen in eo genere meruerunt. ex quibus fuit Pyreicus, qui tonftrinas, & futrinas pinxit, afellos, obfonia & fimilia. Laudatus fuit & Ludius diui Augusti ætate. Hic primus inquit Plinius inftituit amoeniffimam parietum picturam, villas, & porticus, ac topiaria opera, lucos, nemora, colles, pifcinas, euripos, amnes, littora, qualia quis optaret. varias ibi obambulantium fpecies, aut nauigantium, terraq; villas adeuntium afellis, aut veihiculis. Item pifcantes, aucupantefque, aut venantes, aut etiam vindemiantes. Sunt in eius exemplaribus nobiles pa-

lustri accessu villæ succolantium specie: mullieres labantes trepidæq; feruntur. Plurimæ præterea tales argutiæ, facetissimi sales. Idemque subdialibus maritimas vrbes pingere instituit, blandissimo aspectu, minimoque impendio. Sed nulla gloria artificum est, nisi eorum qui tabulas pinxere: eoque venerabilior apparet antiquitas. Hæc Plinius. Cæterum non exemplis tantum illustratæ fuerunt hę nobilissimæ artes, sed & clarissimorum virorum scriptis. Ex latinis scripserant. Atticus, & Varro. hic nominibus septingentorum artificum insertis suis voluminibus. Ex Græcis Antigonus, & Xenocrates. & Pasiteles fictor, quinque editis libris nobilium operum, quæ essent toto orbe. Euphranor Isthmius pictor composuit libros de symmetria, & de coloribus. Apelles libros edidit de sua arte, quibus saltem fata parcere debuerant, tot alijs nobilibus eius operibus absumptis.

# ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO D. CAROLO RAMBOLIETO S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO.




OLENT pictores in vltima regione tabulę montes, vrbes, nemora, amnes, aut alia quędam eiusmodi, vasta licet argumenta, angusto loco premere, & tanquam ab oculo recedentia obscurius repræsentare. Sic cum ego accuratius paulo quædã in hoc opere descripsissem, hæc præterea, quæ iam dudum longum temporis interuallum oculis subduxit, in hac vltima libelli parte, quæ tibi à prima operis designatione dicata est, non graphice delineare, sed adumbrare institui. nec tam formam ipsam rerum, quam earum speciem, & situm ostendere. Non vsque adeò aspernandum opus si pusillum videtur. Contractius fortasse quidem, quam par fuit. Sed si tibi breue videbitur, bene est, dum prolixæ erga te meæ voluntatis, & obseruantiæ testimonium, & perenne monimentum agnoscas.

*Amplitudini vestræ*

*Deditissimus ser.*

*Lud. D[illegible]*

# LVDOVICI DEMONTIOSII
## GALLVS ROMÆ HOSPES.
# DE FORO ROMANO VETERI,
## ET ALIIS QVIBVSDAM LOCIS CIRCVNSTANTIBVS.





AEPE miratus ſum, potuiſſe adeo mutari antiquæ vrbis faciē, vt de celebrioribus operibus quæ in ea quondam fuerunt, hodie paſſim dubitetur vbi nam ſita fuerint. De arcu Fabiano oſtēdimus, aut eum eſſe qui tempore Caracallæ renouatus nunc arcus argentariorum appellatur, aut ei vicinum fuiſſe. Quum ex inſcriptione, quæ Zophoro inciſa eſt, conſtet iuxta eum fuiſſe Ianum, celebrem illum mercatorum, & fæneratorum locum, qui olim arcu Fabiano notabatur, vt nunc eo vice verſa Fabianus arcus. Sed quando iterum ad arcum Iani, & ad Fabianum diſputationis noſtræ caput reuoluitur, libet hic quædam de ijs in gratiam ſtudioſorum adnotare. Arcus ſcilicet omnes Ianos olim dictos fuiſſe. quod ex parte anteriore & poſteriore inſtar Iani gemini conſpiciēdi eſſent, eodem argumento atque Ianus geminus. vt ſcilicet gemina illa facie præteritorum memoriæ conſulerent, & eorundem poſteros admonerent. Sed quum virtuti cuiuſdam illuſtris viri dicabantur, appellabantur arcus. vt arcus Titi, arcus Septimij, Conſtantini, Gordiani, & ſimilium. Quum vero argumentū quoddam reconditum continebant, tunc Iani communi nomine appellabantur. vt Ianus hic, qui ad arcum Fabianum: de quo illud apud Ouidium.

*Qui puteal, Ianumque timet, celereſque calendas.*

Dictum propter occurſum fœneratorum, qui in Iano fre-

quentes diuersabantur. Tametsi non semper eam differentiam seruarint scriptores. Nam cum P. Victor Ianos quadrifrōtes triginta sex in vrbe fuisse dixisset, per omnes regiones marmoribus incrustatos,& adornatos insignijs militaribus,& signis.alio deinde loco totidem arcus marmoreos fuisse scribit. Et quos Ianos quadrifrontes appellat P. Victor, eosdem Suetonius in Domitiano arcus appellauit. Ianos inquit arcusq; cum quadrigis & insignibus triumphatorum per regiones vrbis extruxit.Cicero pro arcu fornicem dixit 2.de Orat. etiã illa ridentur,inquit,quæ minuendi,aut augendi causa ad incredibilem admirationẽ efferuntur.vt tu Crasse in concione, ita sibi magnum videri Memmium, vt in forum descendens caput ad fornicem Fabij demitteret. de hoc enim arcu Fabiano intelligenda sunt hæc apud Ciceronem.Vnde & conijci potest altius olim patuisse; sed cum renouaretur, angustiorem,& humiliorem factum. per eum etiam à capitolio in forum descẽsum fuisse. Quocirca quum Victor dicat,Ianum ad arcum Fabianum situm fuisse, non abs re & nos arcum Fabianum iuxta Ianum,in radice capitolij,foro imminẽtem descripsimus.Cum male recentiores eum in via sacra,iuxta templum Faustinæ locent.Siue enim duo Iani fuerint,vt quidam existimarunt, siue is tantum qui à nobis descriptus est à duobus Ianis sic appellaretur, arcus Fabianus non longe distabat ab hoc.

Hic error alios etiam errores in fori Romani descriptionẽ induxit. Nam si hæc ita sunt vt dixi, pariter erratum est à recentioribus antiquarijs in situ putealis Liboniani,& Comitij. quum & puteal Libonis Porphyrio ad arcum Fabianũ fuisse scribat. Itaque quum constet puteal situm fuisse in comitio, perperam vtrumque ab ijsdem locatur iuxta arcum Titi. Sed et ficus ruminalis, & Lupercal in comitio fuerunt teste eodem P. Victore. Adde rostra eodem loco fuisse, rostra inquam noua,& curiam Hostiliam, eam scilicet quæ fuit sub veteribus, & Græcostasim auctore Varrone: quum libr. 5. de lingua Latina dicat ante curiam Hostiliam fuisse Rostra,è Co-

mitio locum substructum Græcostasim appellatum, vbi nationum subsisterent legati, qui ad senatum missi essent. Deniq; & forum Romanum, quod magnum dicebatur, inter hęc interiacuisse fatendum erit: quum tamen hæc omnia ex sententia recentiorum adscribantur ei spatio, quod est ab arcu Septimij, ad arcum Titi, quod vulgo campo Vacino nũcupatur. qui locus sane non fuit accommodus foro. quum ab arcu Titi, ad arcũ Septimij locus nimium accliuis esset. vt vel inde iudicare licet, quod arcus Titi hodie totus a fundamẽtis conspiciatur, arcus vero Septimij ad dimidiam fere partem altitudinis terra obrutus sit. et tamen locus adhuc ab illo, ad hunc totus accliuis est. Sed aiunt vestigia quędam rostrorum ibi reperta fuisse, quum inde aliquando terra effoderetur. et ego quoque non negauerim ibi fuisse rostra vetera; sed noua ad arcum Fabianum fuisse dico. Hæc non docendi, sed admonẽdi causa dicta velim quæ lubens obmisissem, nisi vidissem in parte vrbis celeberrima, membra adeo luxata, & diuulsa ẽsse, vt qui fuerit olim situs nobilissimarum eius partium nemo meminerit.

De Basilica Pauli notum est, quantum celebrata fuerit, quàm magnifica describatur. vt pote in cuius extructionem immensam argenti vim errogatam fuisse dicant. opus Plinij suffragio præferendum omnibus Aegyptiorum, & Græcorum, paucis Romanorum postponendum. Et tamen vbi sita fuerit nescitur. In ea Romæ descriptione, quam Vaccarius paucis ab hinc annis Duperaci typis excudendam curauit, basilica de qua nunc agimus, sita est in radice montis Quirinalis, qua parte spectat Capitolium. vbi vestigia quædam conspiciuntur cuiusdam antiqui ædificij hæmicyclij formam referentis, non multum dissimilis ab ea, quæ in theatris vsurpabatur. sed non prorsus eiusdem: vt certe theatrum non fuit. quum in ea regione vrbis nullius theatri meminerint scriptores. nec spectaculis satis accommodata figura videatur. Vnde ij qui ex vestigijs antiquorum operum pristinæ formę Romam restituere voluerunt, existimarunt ibi quondam

sitam

ſitam fuiſſe Baſilicam Pauli, quum in ea regione eam fuiſſe conſtaret, & ratio operis non inelegans videretur. Atqui ipſius operis forma non conuenit cum ijs quæ Vitruuius ſcribit de baſilicis, quum tamen eius temporibus extructa fuerit. Sed demus plures fuiſſe baſilicarum formas. ex his quæ ſuperſunt nemo exiſtimauerit tot ſumptus in eius extructionem erogari potuiſſe, quum opus fuerit lateritium. Sed nec video quo pacto columnæ illæ ex marmore Phrygio, quæ in eo laudabantur appoſite ibi ſtatui potuerint, nec cur adeò opus ipſum debuerit tantopere commendari.

Sunt verò qui dicant hanc baſilicam ſitam fuiſſe inter templa Saturni, & Fauſtinæ. quumq; diruta eſſet, ex eius ruinis poſtremum hoc templum extructum fuiſſe. Argumēto eſſe columnas porticus ex marmore Phrygio. Sed columnæ non ſunt eius magnitudinis, vt propter eas Baſilica Pauli inter orbis mirabilia reponenda fuerit. Hæc dum ſæpius mecum animo repeto, & omnia vicina loca oculis luſtro, aſpicio forte columnam ſtantem, ex marmore Phrygio, eximiæ magnitudinis, terra obrutam ad tertiam fere partem altitudinis, ſitam iuxta eccleſiam, quę vulgo Spoglia Chriſto nuncupatur, qua parte oriētem ſpectat, quæ interim, dum hęc ſcriberem, inde ſublata eſt a Ioanne Georgio Cæſarino, qui paulo poſt è viuis exceſſit, ciui Romano nobili, & dum viueret antiquarum rerum ſtudioſiſſimo, vt qui eas haberet in delitijs. Vxor eius probiſſima, & filius magnæ, vt fertur, virtutis indolis, defuncti votis indulgentes ambo, paucis abhinc diebus deuehendā curarūt in vineam refertam varia antiquarū huiuſmodi rerum ſupellectile: atque eo nomine in primis viſendam: quæ ſita eſt ad D. Petri in Vincula. Quum igitur columnam illam, vnicum illius celebris Baſilicæ veſtigium, antiquo ſuo loco moueri viderem, ne huius loci memoria intercideret, ſitum eius in gratiam poſteritatis conſignare volui. Vidi præterea, cum inde tolleretur, effodi eius capitulum & baſim, operis Corinthij. Sita autem erat inter priorem illum locum a nobis deſcriptum, & alterum, qui a recētioribus pro

Baſilica

Basilica Pauli agnoscitur. Vnde conieci ibiquondam sitam fuisse nobilem illam Basilicam Phrygijs columnis spectabilem, e quibus hæc tantum reliqua est, ex cuius magnitudine totius operis magnificentia existimari possit, & forma eius restitui ad præscriptum Vitruuij. Est autem columnæ lõgitudo 47 palmorum dodrantalium, præter capitulũ & basim. Aedificium autẽ illud quod falso creditum est fuisse basilicã Pauli ad radicẽ Quirinalis, vbi adhuc vestigia antiqui operis conspiciuntur, ni fallor, illud est quod P. Victor stationes municipiorum appellauit. vbi qui à municipijs Romam missi erant, vt Senatui quædam exponerent, subsisterent, quemadmodum in Græcostasi legati nationum. Nam ex eo quod superest de antiquo ædificio iudicari potest in similem quændam vsum quondam paratum fuisse, cum in eius hemicyclij curuatura plures sint continuæ cameræ, singulæ suis fornicibus tectæ, & locus satis accommodus fuerit, si ex ijs, quæ supersunt reliqua existimare velimus, & quæ supra erant, quorum adhuc extant vestigia, & quæ subter latent. Ibi hodie sita est domus Camilli Cucini equitis Lusitani, & Mutij fratris eius, qui comiter & benigne adeuntes excipiunt.

Hæc si ita sunt, de vna fidelia duos parietes dealbauimus Nam & celebris illius basilicæ Pauli locum indicauimus, qui iam tot annos omnes latuit, & eadem opera stationes municipiorum ostendimus. nec sane labore pœnitendo, si ex sententia successerit cum nihil magis in votis habeam, quam de hac inclyta Vrbe studijs meis quodammodo promereri.

# REGISTRVM.

*PARS Prima, Ludouici Demontiosij Gallus Romę hospes.*
*Dum Romæ agens, &c.* A B C D.
*PARS II. Illustrissimo, & Reuerendiss. Principi Aloysio Estensi. &c.*
*Ludouici Demontiosij Gallus Romę hospes. De Pantheo, &c.* A B C D.
*PARS III. Illustrissimo, & Reuerendiss. D. Francisco de Gioiosa, &c.*
*Ludouici Demontiosij, Comentarij de Sculptura, &c.* A B C.
*PARS IIII. Illustrissimo, & excellentissimo D. Annæ de Gioiosa, &c.*
*Pictura.* A B C.
*PARS V. Illustrissimo, & Reuerendissimo Carolo Rambolieto.*
*Ludouici Demontiosij Gallus Romę hospes.* De Foro Romano. A.




*ROMAE*

Apud Ioannem Osmarinum Liliotum. M. D. LXXXV.

*Cum Priuilegio, & Superiorum permissu.*

Nachr. Olmütz Chron. 1, 1680?
Schmidt, 790